

Book Fairies have been spreading
books all over the world since
the first book fairies began in 2009.
With 100,000+ books given away,
they have helped to spread joy and
inspiration all over the globe.

Book Fairies are not
a secret society.

They are a group of
booklovers who share
their love of reading.

They are from all over the world
and from many different backgrounds.
They are young, old, men, women,
and everyone in between.

Books are magic,
and they can bring

1738.

- 1^o = Conrad, Franciscus Berlin: De inspectione cada
veris occisi a soldis medicis peracta vi tertia nec
sufficiente ad paenam ordinariam interrogandam . . .
2. Goetel, Joh. W. H. de: De donationibus quee justicibus
sunt inserviande statutis et quee a relatione in istis
sunt exemptae . . .
3. Goetel, Johane W. H. de: De origine usum et abuso
instrumentorum .
4. Herstes, Laurentius: De medicinae mechanicae
praestantia .
5. Hippocratus, Iacobus Wolfgangus: De statu religiosis
ante pacem Rysvensem .
- 6^o = Hippocratus, Iacobus Wolfgangus: Resuacapone
juri pectori et simili .

1739.

1. Goetel, Joh. W. H. de: De legibus militariis
et iure praestantiae militaris utilitate .

1739.

2. Remondi, Iohannes: De immutabili naturae lege

1740

1. Goritz, Petrus: Dissertatio medica, in qua conjecturae physico-metaphysicae & respiratione factas in Italia hacten ab hisce anno propositae examinantes.

2. Gruelle, Petrus: De texture solidorum in humanis corporibus invenientibus, quaque cognitione in directa ordinata et medicamentis praesentibus necessaria.

3. Giebel, Ioh. Willems de: De substitutione papillaris a Germania non exclusa.

4. Povardi, Franciscus Carolus: De senatus consultis super-novum iurisdictionum & imp. Rom. Germ.

Mogheim, Ioh. Lucas: Censibus suis s. p. d. : memoriem Iohanni Remondi Russini . . . commentariis & resquiescentiis. exequias ejus cohors tandem invictant proceret et senatus.

1741.

1. Conrad; Frans van Coelen: *De documentis publicis,*
quod sibi apud acta.

2. Schlaegerus, Iacobus Condam: *De debitoribus obsecratis*
secundum ius Hebrewum et Africanum Christianum in
soritatem adjudicandos.

3. Wagnerus, Petrusplus Antonius: *Memoriam Petriplus*
Christiani Wagneri . . . commentat proposito
et sententia

300.

DISSERTATIO ACADEMICA

1738, 3

DE

ORIGINE VSV ET ABVSV IVRAMENTORVM

QVAM
PRÆSIDE

DN. IOHANNE WILHELMO
DE GOEBEL

I. V. D. NEC NON PANDECT. IN ACADEM. IVLIA
P. P. O.

SERENISS. DVCIS BRVNSVIC. LVNEBURG. A CONSILIIS AVLAE
ET DICASTERII GVELPHERBYTANI ASSESSORE

IN IVLEO MAIORI

D. APRIL. MDCCXXXVIII.

PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

IOANN HEINRICH BENED. PABST.

HELMST.

HELMSTADII,
TYPIS BVCHHOLTZIANIS.

ORIGINE

CAP. I. De origine juramento-
rum.

CAP. II. De usu & abusu jura-
mentorum.

JAN HENRICH BENEDIKT

TYLLI BACHMANNI



Q. D. B. V.

CAP. I.

DE

IVRAMENTORVM ORIGINE.

§. I.

VEtustissimi mortalium nulla adhuc inala libidine, sine probro, scelere eoque sine poena aut coercitionibus agebant: (a) neque praeiis opus erat, neque pactorum fide aut jurisjurandi vinculo, cum honesta suopte ingenio pe-

A 2 teren-

(a) TACITVS lib. III. annal. c. 26. primum inter homines mali nescia & adhuc astutia inexperta simplicitas. MACROBIVS ad somnium Scipionis lib. III. c. 14. sed primi mortaliuum

terentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exul æqualitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos mansere. (b)

§. II.

Verum enim vero in hac vita simplice & innocentia non persliterunt homines, sed animum applicuerunt ad artes varias, quarum symbolum erat arbor scientiæ boni & mali, (c) id est earum rerum, quibus tum bene tum male uti licet. Huc respiciens Salomo: *Deus, inquit, creavit hominem rectum, id est simplicem, sed ipsi quæsiverunt sibi cogitationes mul-*

lium, quique ex his geniti naturam incorrupti sequebantur, eandem habebant ducem & legem. SENECA epistola XC. Aureum hæc atas sapit seculum, quod, OVIDIO in metamorphosi teste, in eo constituit, quod homines sponte sua sine lege fidem rectumque coluerint. PVFFEND. de I. N. & G. lib. IV. c. IV. §. 5. Aureum autem hoc seculum non intelligo, nisi quatenus S. S. est consentaneum.

- (b) illo tempore quo plus penes majores nostros boni mores valuerunt, quam leges, magis naturæ dictamina secuti sunt, & Germani tamdiu fide ante omnes erant, quamdiu simplicior vivendi ratio apud illos durabat.
- (c) GROTIUS de I. B. & P. lib. II. c. II. §. 2. VELTHYVSEN de pudore p. 9.

ORIGINE.

5

multas. Lerna enim illa malorum, quam protoplasti ex contumacia, qua creatoris iussibus refragabantur, contractam in totum effuderunt genus humanum, se magis conspiciendam præbuit, postquam, auctiore jam horum propagine, & adultioribus per crebra exercitia vitiis, latioreque materia peccandi, perversæ cordis cupidines, mentem a sanctissimis naturæ præceptis in transuersum abripuerint. Vnde homines sibi a se invicem magis metuentes, solaque amicitia, humanitatis, æqualitatisque consilia, ad securitatem & quietem, non amplius sufficiencia credentes, se, suaque promiscuo rerum usu sublato, irrepenteque sensim magis ambitione, voluptate & avaritia, contra mutuas injurias & invasiones, præsertim cum in societates confluenter civiles, pactis, ad fidem (d) & pacem servandam tendenti-

A 3

bus,

(d) DIONYSIVS HALICARNASSÆVS postquam lib. II. c. 77. narraverat, fidei, qua nullus apud mortales major aut sanctior est affectus, publicæ a Numa struendum esse templum addit: *publicus enim civitatis mos in fide hominibus constanter seruanda, privatorum etiam hominum mores ad idem studium progressu temporis erat conformaturus, adeo certe venerabilis & inviolabilis ea res habita, ut sua cuique fides pro sanctissimo jurejurando & longe firmissimo testimonio fuerit.* Collineant huc, quæ habet PLVTARCVS, in Numa pag. 24. primum autem ferunt, & fidei & termini templum condidisse, ac fidem jurandum Romanis demonstrasse maximum, quo etiam nuna utuntur.

bus, munire volauerunt. (e) Huic deinde accessit, ut tanta pactorum & fœderum illorum, etiam non nisi id, quod juris naturalis est, constituentium, fuerit necessitas, ut illi cum quibus inita non fuerant, falsiloquio eludi, & ut hostes lædi potuerint. (f)

§. III.

(e) PVFFENDORFF, de officio hominis & civis l. I. c. 9.

(f) Prioris generis fœdera, id est quæ juri naturali nihil ad-
jiciunt, olim & fiebant sape, & aliquo modo erant necessa-
ria, inter eos, qui ante nihil contraxissent, id inde ortum,
quod regula illa juris naturalis cognationem inter homines
quandam esse a natura, ac proinde nefas esse alterum ab al-
tero lædi, ut olim ante diluvium, ita rursus aliquo post di-
luvium tempore, malis moribus esse obliterata, ita ut la-
trocinari & pradas agere in exteris, nullo bello indicto, pro-
licito haberetur, quod oratione vocat Epiphanius. GRO-
TIVS de I. B. & P. lib. II. c. XVI. §. 5. ubi exempla.
De Tigrane, inquit TACITVS lib. XV. annal. c. I.
Adiabenos conterminam nationem latius ac diutius, quam
per latrocinia vestigaverat. Huic Taciti loco lumen aliquod
affunditur ex c. 5. HOBESII de cive, ubi sequentia
leguntur: Ideoque priscis temporibus vita institutum, &
quasi œconomia quedam erat, quam vocabant ἀντρικὴν
raptu vivere, quæ neque contra legem naturæ erat, rebus sic
stantibus, neque sine gloria illis, qui eam fortiter nec crudeli-
ter exercebant. Loquitur Hobbesius ex falsa sua hypothesi:
quod status naturæ meræ in bello omnium contra o-
mnes consistat. Iungamus hisce, quæ STIRNHOEC
de jure Sveonum antiquo p. 337. habet: rapina olim in ex-
terior

§. III.

Multiplicato porro magis adhuc humano genere, pactorum fides & veritatis confessio, utpote inter antiqua vel potius antiquata habite, in dies magis magisque decrescere; solertia autem & ars fallendi, veraque in alterius detrimentum celandi, augescere cooperunt. Hinc consulum visum, ad juramentum, utpote Deum in testem & vindicem vocans, tanquam idoneum maxime firmandae fidei, & afferendae, erniendaque veritatis instrumentum configere. (g) Cætera non diffiteor, & illo jam tum tempore, aut brevi post, juramento aliquando ad magis decipiendum, vel etiam callidius tegendi falsum, homines abusos esse. (h)

§. IV.

teros erat licita. Plura vide in annotationibus ad GRO-TIVM de veritate religionis christiana tom. V. Conring. p. 5. Majores nostri hoc quoque laborarunt vitio IVL. CÆ-SAR de bello gall. lib. VI. c. 23, & lib. IV. ubi de Sveorum latrociniis loquitur. De Cattorum latrociniis agit TACITVS lib. XII. annal. c. 27. Hic autor Chaucorum populi inter Germanos nobilissimi, virtutibus accenseret quod nullis raptibus aut latrociniis populentur. Germ. c. 35.

(g) HANSENIUS de jurejurando c. I.

(h) Corruptissimis etiam olim moribus adhuc mos jurisjurandi servabatur antiquus, nou ut a sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut perjuria quoque sceleribus adderentur. AVGYSTINVS de civitate Dei lib. III. c. II.

§. IV.

Sic Agamemnon jurat, se cum Briscide rem non habuisse. (i) Verum hoc juramentum, quo ille (k) a furtivi amoris opinione se liberare studebat, eadem fere laboravit falsi suspicione, ac illud, quo Accursius se a plagii crimine eximere voluit. (l)

§. V.

Id certum, apud omnes propemodum populos, & ab omni ævo, ubi simplex naturæ probitas, & nuda bona fides yacillare cœperunt, circa pollicita-

(i) *Sciat nunc Iupiter primus Deorum & præstantissimus,
Terraque & sol & furia, que sub terram
Homines puniunt, quicunque perjurium jurarunt,
Quod nequaquam ego puella Brisciidi manum intuli,
Neque cubilis occasione usus, neque alicujus alterius rei:
Sed erat intacta in tentoriis meis
Si vero quid horum perjurum est mihi Dei mala dents
Multa admodum quacunque dant ei qui ipsos offenderentur
jurando.*

HOMERVS lib. 19. Iliad.

(k) Solent Bacho addicti, litare etiam Veneri.

(l) Formulam jurisjurandi singularem plane, qua Accursius eruditio orbi persvadere annisus est, Ausonium suum nihil debere Fabricio Varano, vid. ap. BAYLE D. H. C. tom. I. p. 50.

cirationes, promissa, & contractus maximam semper jurisjurandi vim fuisse. (m) In primis autem apud Romanos illud inviolate sancteque habitum, servatumque esse, GELLIVS tradit. (n) Illustri hoc Polybii testimonio confirmatur. (o) Nullum ait CICERO (p) vinculum, ad adstringendam fidem, majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt.

§. VI.

Vt itaque fidei illud vinculum (q) in quo Deus adhibendus testis & vindex (r) eo magis sanctum & interemeratum servaretur, juramenta aut in delubris, aut ad res Numini sacratas praestabantur. Sic autore

B

PLV-

(m) GROTIUS de I. B. & P. lib. II. c. XIII. veterum affert testimonia.

(n) Lib. VII. c. 18. p. 200. MACHIAVELL. discurs. in Livii decad. I. lib. VII. c. II.

(o) Idem, inquit, hist. lib. VI. p. 450. apud Romanos, quum & in magistratibus & in legationibus magnam pecuniae vim tractent, propter unicam jurisjurandi religionem, fidem servant.

(p) De offic. lib. I.

(q) POLYB. hist. lib. VIII. p. 465.

(r) Vt explicat CICERO lib. III. de offic. mentem suam, quae nihil homini dedit ipse Deus divinius. Add. HANSEN. I. c. p. 75.

PLVTARCHO (s) mulieres Callicratem, in æde Proserpinæ juramentum inire, coegerunt. Frequens omnino fuit ad aras jurare. Græcis hunc fuisse ritum, CICERO (t) testatur. Arcessunt nonnulli ab hoc instituto proverbium: *Amicus ad aras.* In testimoniū quoque vocare liceat Plautum, apud quem (u) hæc inter Gripum pescatorem, & Labracem lenonem miscentur verba: *Gr. per Venerem hanc jurandum est tibi. La. quid jurem? Gr. quod jubebo.*

Lab.

(s) In Dione. Fiebat, inquit MAGIVS in annos. ad Æmil. Prob. Dionem p. 95. vero hac solennitate: qui fidem præstabat, in Cereris descendebat templum, & quibusdam peræctis sacrificiis, Dea purpuram induebat, tum, ardente captans faculam, jurabat.

(t) In oratione pro Balbo.

(u) In rudente aet. V. scen. 2. n. 47. seqq. CICERO pro Flacco: si, ait, aram tenens jurare crederet, jures licet & Samothracum & nostrorum aras, & Cereris tangens aramque pedemque. IVVEN. Satyr. III. DIONYSIUS HALICARNASSEVS lib. IV. c. 65. refert: fecundus, quod Tarquinius cum Gabiis iniiebat, jurejurando super ardentes in aris victimas firmatum fuisse. Adde ejus lib. III. c. 21. lib. V. c. 1. Vid. HANSEN. p. 9. ubi hanc refert inscriptionem: VBIOS, CVM AB AVGUSTO IN GALLIAM TRADVCTI ESSENT, ET IN PROXIMIS RHENO COLLOCATI ARAM CONSTITVISSE, AD QVAM IVRISVRANDI DEORVMQVE RELIGIONE SE ASTRINGERENT IN FIDE MANSVROS.

Lab. prei verbis, quid vis, id quod domi est, nunquam ulli supplicabo Gr. Tene aram banc La. Teneo Gr. dejura, te mibi argentum daturum.

Huic rei illustranda inserviunt verba, quibus SYMMACHVS imperatores Valentinius, Theodosium & Arcadium (v) alloquitur: ubi in leges vestras & verba jurabimus? qua religione mens falsa tenebitur, ne in testimonio mentiatur. Omnia quidem Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam praesentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenient singulorum.

Ad illum popularium suorum morem respiciens PLINIVS, gentium illarum, quae per foetidos cibos, & alia similia jurabant, ritum despiciatui habet. (w) Cum tamen formula illa recte intellecta, pro more illorum temporum, nihil absurdum continere videatur, quoniam in fidem, jurejurando firmatam, fallentes ita Deorum iram deposcit, ut cibis foetidis, aliisque vilissimis rebus pejerantes similes forent. Peculiare est juramenti, in quod Tyndareus, Helenæ procos adegitse dicitur, symbolum. (x)

B 2

§. VII.

(v) L. 9. C. Theodos. *De infirmandis his quae sub Ic.*

(w) Lib. II. histor. nat. c. VII.

(x) Progressus paulo longius est, inquit PAVSANIAS laconic, lib. III. p. 185. equi monumentum: quo in loco Tyndareus dicitur, convocatis Helenæ procis, super exectis equi testibus jusju-

§. VII.

Veteres quoque Christianos ad altaria jurejurando se obstrinxisse, patrum ecclesiæ testimonia produnt. (y) Cumque in altaribus Evangeliorum volumina solebant esse deposita, (z) in majorem veritatis, quam juramento evincere volebant, tesseram, juraturi tangebant, aut digitos eis imponebant. Sunt, qui putant, ritum hunc Iudæis tribuendum, quippe qui legem complectentes jurarunt. (a) Minus

*jurjurandum concepisse, cuicunque Helena desparsaretur,
armis se illius injuriam, si nuptiæ illæ a quoquam violata
fuerint, vindicaturum.*

(y) TERTVLL. lib. de poenitent. OPTAT. MILEVITAN. lib. VI. Formul. vid. in libr. veter formular. ap. BLIGNONIVM c. 29. 33. & NOVARINVM lib. 8. schediasm. c. 8. Et cum Christianis interdictum, ne ad aras jurarent, hoc restringendum, ad jurandi modum a gentilibus receptum, tangendi nempe Deorum simulacra, aris, gentilium superstitione consecratis, impofita.

(z) GONZALEZ DE TELLEZ ad leg. fin. X. de juremento calumniae ex Constantino, porphyrogeneta de administrat. imperii c. 27. memorat: jurantes aliquando Evangelia ad jurandum secum detulisse. Textus juris canonici, hoc confirmantes, recitat, GONZALEZ de TELLEZ tom. II. p. 160.

(a) HANSENIUS de jurejurando c. II,

nus recte igitur sentiunt, qui hujus moris, a Francis quoque deinde & Longobardis adoptati, Iustiniani ævo (b) incunabula vindicant. Quid autem ab apprehensione, impositione digitorum, aut tactu hoc clerum absolverit, non una omnium est sententia. Præcipit Gregorius IX. (c) episcopo belovacensi, *ut jura-mentum, per se præstandum, exhibeat propositis tan-tum, sed non tactis evangeliis.* Pontificis constitutioni Novell. 123. c. 7. occasionem præbuisse censetur, in qua haec leguntur: *nulli vero judicum licebit Deo amabiles episcopos cogere, ad judicium venire, pro exhibendo testimonio: sed iudex mittat quosdam ex personis ministrantium sibi, ut propositis sanctis e-vangeliis, secundum quod decet sacerdotes, dicant, que noverint.* (d)

B 3

Abfit

(b) Imperante Iustiniano ritum hunc jam tum viguisse, I. 2. C. de juram. columnia constat.

(c) L. fin. X. de jurejur. column.

(d) Nescio, an Gonzalezii verba ad hoc cap. veritati sint congrua, quod clerici juraturi manum tantum peccatori admovereant in causis leviioribus, in gravissimis autem causis, ubi pro forma actus desideratur contactus crucis, aut Evangelii, etiam episcopi vel presbyteri, illis tactis, jurare debeant. Quis enim electionem Casfaris causam leviorem vocare auderet? Nisi dixeris, ibi Evangelii contactum ad formam actus non pertinere. Minus recte GONZALEZ ad ad l. fin. X. de jurejurando l. 6. (7) de episcopis & cler. tribuit, quod est in autentica ei subjecta.

Absit nos hujus ritus, quem etiam Aurea probat Bulla (e) rationi, quam DVARENVS affert, (f) inhærere: *Episcopi soli, inquit, jurant, propositis tantum, non autem tactis Evangelii, ut constitutum est, jure pontificis cap. ult. X. de jurejur. calumniæ, haud scio, an mystica aliqua ratione.* Nam episcopis nostris, ut sunt mores seculi, sufficit, juxta se posita habere evangelia, etiam si non legant ea, nec attingant quidem.

Patres concilii Triburiensis hoc ideo constitutum autumant, *ne manus per quam corpus & sanguis Christi conficitur, juramento polluatur, si forte a jurante perjurium committeretur.* Sed displicet haec sententia PETRO AQVAVLTO (g) putatque ille, hoc ideo introductum, ut inter clericos & laicos, etiam in argumento juramenti differentia constitueretur.

(e) Tit. II. ubi archiprincipes ecclesiastici, imperatorem electuri, jurant coram Evangelio beati Iohannis: *in principio erat verbum, quod illuc ante ipsos ponи debebat, manus suas pectori cum reverentia superponant. Seculares vero principes electores dictum Evangelium corporaliter manibus suis tangant.*

(f) Tit. de jurej. c. XI. p. 209.

(g) Dans l'ordre, formalité & instruction judiciaire &c. livr. III. p. 303. Mais, inquit, j'ai opinion, que c'est pour mettre quelque difference entre le clerc & le lay. Car la langue autant ou plus que la main fait le corps de notre Seigneur, & c'est le cœur & la conscience, qu'il faut plusstō craindre & eviter, de souiller, que les mains.

retur. Videtur institutum, quod clerici a jurisjrandi præstatione sint immunes, aut ut saltē non eodem, ac laici, ritu, jurent, Romanorum, apud quos pontifices, flamines diales nunquam, Vestales virgines, raro jurasse, memorantur, mores imitari. Niſi fœminæ quoque, solenniter juraturæ, dextræ duos digitos priores sinistro admoverent pectori, symboli hujus diversitatem exinde provenire, cum aliis, statuerem, quod clerici magis, quam laici verbi divini, ex continuo scrutamine pectori inclusi, vel potius memoriae & menti inscripti circumferre credantur dogmata, & sic magis quam laici Evangelio, formis exscripto, deſtitui possint.

Susplicantur aliqui, clericos & fœminas jure-jurando ſelē adſtricturos pectori manum imponere, laicos autem dextram aut tollere, (h) aut ſymbolo & fidei tefſeræ admovere; ut indigitetur, illos pro verbo divino, per quod jurant, precibus, hos autem etiam manibus pugnaturos eſſe.

Placet hæc CIRONII (i) adjungere: *laicorum juramenta & clericorum distincta fuerunt: illi diversis modis jurare coguntur; hi vice juramenti per*

(h) Quod per ritum levandi manum in jurejurando intellexit, tradit GONZALEZ ad leg. final. X. de jurejurando calumnia, Hansenius de jurejurando c. XII.

(i) Observat jur. can. lib. II. c. X. p. 50. In titulo Codic. de juramento calumnia, hoc juramentum advocati jubentur praestare, positis coram judice sacris Evangelii.

per sanctam consecrationem interrogandi sunt, c. si quis presbyter 2. q. 5. illi adhibitis Evangeliiis (k) & martyrum capsis manus apponunt; hi tantum interrogantur c. quanto & sequ. eod. Hodie laici manus elevant, clerici pectori admovent.

§. VIII.

Neque alia adhuc Christianis juramentorum deerant symbola. Iurabant tactis sacrosanctis oratoriis (l) aut sanctorum reliquiis, nec non jusjurandum praestabatur super cruce, aut alia re sacra. Super clavibus quoque B Petri jusjurandum datum est (m) Formulæ finali sic me Deus adjuvet & omnes sancti antiquitas quidem derogari nequit: verum per protestantes ab ea discessum, quoniam eam minus recte cum sacrī litteris convenire censuerunt. Crediderunt hi, rectius omnibus sanctis substitui sacrum Evangelium. Cui formulæ catholici quoque quodammodo subscripserunt. (n)

§. IX.

(k) Leges Tauri.

(l) L. generaliter 12. §. ult. C. de jurejur. Oratoria dicebantur, ubi martyrum reliquiae astervabantur.

(m) GONZALEZ DE TELLEZ tom. II. p. 160. GRET-SERVS lib. I. de cruce c. 83. BIGNONIUS in notis ad Marculfum ap. Baluzium p. 923, 924.

(n) R. I. de anno 1544. §. 92. R. imp. de anno 1555. §. 106. C.G.O.

§. IX.

Sed missis juramentorum formulis ad reliqua
hujus capitinis progrediamur. Ex usibus extrajudicia-
libus juramenta ad judicia transferunt, (o) ut subsi-
diarium judici ficerent fidem. (p) Habebant sibi
persuasum jusjurandum firmissimum esse vinculum,
& maximam veritatis & fidei indicem & fulcimen-
tum. (q) Nec dubito, quin recenti juramentorum ævo,
tam in foro, quam extra illud, major eorum fuerit
religio. (r) Hinc GAIVS (s) inquit : *maximum
remedium expediendarum litium in usum venit juris-
jurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigan-
tium, vel ex autoritate judicis deciduntur controver-
sæ.* Postquam vero illa jurisjurandi religio vilescente
cœperit, viri probi a juramentis abhorruere, eorum-

C

que

C. G. O. part. I. tit. 57. Rec. Im. de anno 1562. LEH-
MAN in actis pacis religiosæ lib. II. c. 26. LYNCKER ad
c. 11. A. B.

(o) HANSENIUS de jurejurando veter. c. VI. sqq.

(p) HANSENIUS I. c. c. X.

(q) Vid. CICER. lib. i. de officiis c. 21. & GVIELMVS
BARCLAVS in prefat. ad tit. de jurejurando.

(r) DIONYS. HALICARNASS. antiquit. romanar. lib. VI. c.
39. lib. VII. c. 75. GELL. lib. VII. c. 18.

(s) Lib. I. ad edict. provinc. I. I. T. de jurejurando. jung.
PAVLVS lib. II. Sent. tit. I. p. 267. apud SCHVLTING.
& ad illum CVIAC. tom. I. p. 159.

que usum disuaserunt, Invaluerat enim impium illud dictum: *lingua juravit, mentem injuratam teneo* (*) & solitum fuit, jusjurandum appellari: *emplastrum eris alieni, ad alios defraudandos* (t) PLATO (u) a jurisjurandi usu abstineri suavit ob tenuem, qua Græci Deum prosequerantur, reverentiam, & ante ipsum hoc docuit Pythagoras: *non jurandum, inquietus, per Deos.* ISOCRATES (v) causas pecuniarias non satis dignas credidit, ut earum ergo jusjurandum adhiberetur. Collineat hic Hierochis illud ad aureum carmen: *qui in principio dixerat juramentum reverere, eo ipso præceperat, abstinere a jurejurando, quæ possunt fieri & non fieri, & incertum habent casus exitum.* Talia enim parvi ducenda sunt, & mutabilia sunt, unde nec dignum jurare de iis, nec tu-zum. *Nolo te adigere jurejurando ut malum,* inquit SOPHOCLES. (w) Coincidunt cum his verba THEOGNIDIS: *Reverere amicos fugeque pernicio-*
sum

(*) EVRIPIDES in Hippolyto.

(t) GELLIVS lib. XVI. c. 7. in fin.

(u) De LL. lib. XII. p. 959. locum refert. PETRVS GREGORIVS in syntagma, juris universi lib. L. c. 6.

(v) In orat. ad Demonicum p. 13. Jusjurandum si prestatatur, duabus de causis dabitis, vel ut temet ipsum turpi crimine liberes, vel ut amicos e periculis eripiatis, a pecuniae vero causa nullius Dei Nomen iures, etiamsi liquido id facere posset, ne aliis perjurus, aliis avarus videarit.

(w) Excerpta Grac, Poetar, apud Grotium p. 96.

sum iusjurandum. Perversæ sane multorum fuere & hodie sunt juramentorum interpretationes: juratus sum, & nunc jurabo, si quid voluptati est mihi. Iusjurandum rei servanda non perdenda conditum est, inquit Labrax apud PLAVTVM, (x)

§. X.

Christus quoque, quem sequitur Apostolus Iacobus, præcepit, ne omnino juretur. (y) Hoc aliqui interpres intelligunt de juramenti abusu, id est quando juratur sine necessitate aut rationabili causa. (z) Nam lege evangelica juramenta recte se habentia non prohiberi, ex c. 6. epist. ad Hebreos apparet, & Paulus saepè juramento utitur. Grotius (a) autem illud servatoris nostri dictum ad juramentum promissorium futuri incerti restringit. Id omnino certum, jurisjurandi abusum verum usum tollere non debere.

C 2

CAP.

(x) In rudente aet. V. Scen. III.

(y) Matth. c. V. v. 34. Iacob. epist. c. V. v. 12.

(z) LAYMAN tom. II. theolog. moral. lib. IV. tr. II. c. II. & III. p. 66. COVARUVIAS part. I. relectionum ad c. quamvis de paciis in 6. tom. I. opp. p. 264.

(a) Lib. II. c. XIII. §. 21.

CAP. II.

DE

**VSV ET ABVSV
IVRAMENTORVM.**

§. I.

Iusjurandum dictum videtur, quasi Iovis jurandum, fide sacramum jus. (b) Dicitur etiam simpliciter, jurandum apud TERENTIVM, (c) juramentum & sacramentum. (d) Iurare est iusjurandum mente conceptum proferre affirmative: abjurare vero est, juramento abnegare, pejerare est fidem

-
- (b) CICERO I. III. offic. c 29. o fides alma pannis, jurisjrandum Iovis. ENN.
(c) Vet. grammat. ap. DIONYS. GOTHOFRED. p. 130. num. 32.
(d) SCHVLTING in jurispr. antejustinianea p. 268. Sacramentum dicitur, quod jurisjurandi sacratione interposita geritur; in specie denotat ὁρὸς τραπέζιον. Textus juris ad hanc rem attinentes citat BRISSON. de V. S. lib. XVII. p. 1515. PAVLVS DIACON, in addit. ad Festum pag. 418.

fidem jurejurando datam fallere, & conjurare est, se, in alicujus perniciem, mutuo adstringere jurejurando. Solebant hausto mutui sanguinis tale fœdus firmare.

§. II.

Solebant Græci & Romani phrasū, *jurejurando adigere*, uti. Τοῖς Τυνδάρεω ὄροις κατειλημένος (e) i. e. jurejurando Tyndarei adactus. Hisce illuſtrandiſ, PALMERIVS (f) hæc antiqui Icholaſtis Sophocl. affert: *proceres enim omnes, qui in Helena proactionem convenerant, Tyndareus adiuravit, ut adjuvarent eum, qui eam (Helenam) dueturus erat, & cum eo militarent, si quis Helena raptus ei accideret.* Verba autem Teucri a Sophocle (g) recitata, ita se habent: *non enim uxoris tuæ causa militavit, sed iuramenti causa, quo erat adstrictus, tui vero causa nihil.* Ejuratio significat id, quod desideratur, non posse præstari. (h) Adjurare in illo significatu usur-

C 3

patur,

(e) THVCYDIDES lib. I. *de bello peloponēſiaco* lib. I. p. 5.(f) In *exercitat. ad optimos fere autores Græcos* p. 43.(g) In *Ajace maſligophero.*(h) FESTVS p. 282. *Ejuravit militiam apud PLAVTVM legitur.* In hoc lenſu adhibetur aliquando verbum jurare. V. locos Ciceronis & Livii a RÆVARDO citatos T. I. p. 301. Huc refertur dictio ap. Varro: *jurare bonam copiam.*

patur, ut idem sit, ac juramentum præstare, aut juramentum dare. (i)

§. III.

Naturam juramenti in genere sumti hæc PVFFENDORFFII definitio (k) satis bene exprimere videtur: *est adsertio religiosa, qua misericordia diuinæ renunciamus, aut divinam in nos poenam deponscimus, nisi verum dicamus, aut promissum præstemos.*

§. IV.

(i) PLAVTUS in Amphitr. Act. 3. *Durare nequeo, aut satisfaciat mihi, atque adjuret, insuper nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.* Hifce jungi possunt, quæ habet TERENTIVS Adelph. act. II. Sc. I. *Nori ego verstra hæc: nollem factum: dabitur jusjurandum, esse te indignum injuria hac.* Notat ad hæc verba HANSENIVS de jurejur. p. 7. *Si quis re verbove, cum quem laserat, jurejuraret, indignum ea injuria esse, quem laserat, & nollet factum, venia locus erat.*

(k) In elementis jurisprudentie universalis l. I. p. 203. CICERO juramentum assertione religiosam dicit. Habet tamen, quæ, circa Ciceronis de jurejurando dicta, monet, GROTIUS de I. B. & P. l. II. c. XIII. §. 1. POLYBIVS lib. VIII. c. 2. inter fidei vincula, quibus idonee ab hoste caverunt, jusjurandum refert. Hoc tamen sape fallit. Adde PVFFEND. de I. N. & G. lib. c. 2. §. 5. HANSEN. de jurejur. p. 32. ALTHVS. in diaeologica lib. I. c. 46. p. 229.

§. IV.

Ingens certe est juramentorum numerus, & quidem tantus, ut juris studiosis sola etiam eorum nomina crucem figant. Cum vocabulorum, quibus juramenta exprimuntur, incremento, jurisjurandi religio sensim decrevisse videtur. Variæ sunt juramentorum species, five nomina, quæ HANSENIVS (I) priscis seculis tribuit, quibus dispescuntur in solemne & quasi publicum, & vulgare five priyatūm, illud in re gravi & seria palam & quasi publice, hoc privatos inter, datum fuisse, recenset; deinde in clarum & obscurum; in fictum & serium, atque illud fuisse vel vulgarium vel jocosum &c. verum nos, missis hisce, ad illa juramentorum nomina, quibus judicia resonant, convertamus. Dichotomiarum jam incuriosi, juramenti species, prout contemplationi nostræ sese offerunt, sub examen vocabimus, & primum juramento calumniæ assignabimus locum. Tralatitium est, illud in generale & speciale, quod etiam juramentum malitiæ vocatur, dividi. De hoc, quod toties præstandum, quoties partis, quæ aliquid exigit, aut proponit, malitiæ adest suspicio vel præsumtio, (m) aut ejus præstatio a lege aut jude

(l) De jurejurando p. c. v. p. 34.

(m) Leg. 34. §. 5. sqq. de jurejur. c. f. §. 2. de juram. ca-
lumn. in 6to.

dice iussa, nihil jam monebimus; præterquam, quod juramentorum abusibus merito accenseatur, quod ille, cui juramentum refertur, juramento relato, etiam calumniæ juramentum præmittere teneatur. Hoc enim aliquibus videtur, nomen Dei, per inutilem juramentorum multiplicationem, in vanum accipere. Quis enim crederet, illum non præstirum malitiæ juramentum, qui juramentum principale relatum præstabit. Hæc enim præstatio omnem calumniæ suspicionem removet. Laudi igitur omnino Saxonibus est ducendum, quod ab hoc vituperando discesserint ritu. In terris Brunsvicensibus utrumque calumniæ juramentum non nisi ex justa adhibetur causa. PVFFENDORFF. *introd.* ad process. part. III. c. 23.

§. V.

Quod autem ad juramentum calumniæ generale attinet, illud in jure nostro tam litigantibus, quam eorum causam agentibus imperatum esse, nullum habet dubium, (a) Vtibantur illo Romani in civili-

(a) L. 2. C. de jurejurando propter calumniam §. 1. I. de poena temere litigantium l. 14. §. 1. c. de judic. Synopsis libr. Basilic. lib. VII. p. 85. Sunt qui putant, hoc juramentum Iustinianum non habere autorem, sed illum atate superare, nec non ejus in D. exstare vestigia. HILLI-
GER

civilibus (b) ad impediendum litigandi pruritum,
 (c) sicut in accusationibus, quæ ob accusatorum
 præmia (d) justo frequentiores esse cœperant, in
 lcriptione in crimen adhibuere. Calumniantes in
 privatis judiciis prætoris puniebat edictum, in pu-
 blicis

D

GER in Donello enucleato lib. 24. c. 3. OBRECHT de ju-
 ramento calumniæ c. III. n. 12. KETTLER. decif. Offrisca
 XLII. Nonnulli hujus legis reliquias quærunt in fra-
 gmentis legis Serviliaæ, cuius mentionem injicit CVIA-
 CIVS lib. III. Pauli ad edictum in l. 9. §. penult. ff. de edendo.
 Vid. FERMOSIN. ad rubr. X. de juram calumniæ n. 12.
 ubi provocat ad libr. 44. CÆL. ad lib. 8. CICER. epistol. ad
 famil. Non tamen cum PICHARDO ad §. 1. Inst. de
 poena temere litig. & l. 2. p. & §. 5. C. de jurejur. propter
 calumniam in Iustinianum involandum, ac si, ex va-
 na gloriola, se ibi hujus juramenti inventorem dicat.
 Nam imperator haud dubie ibi tantum de forma speci-
 fica, quam sub suo accepit imperio, loquitur. Ius
 canonicum voluit, ut id, quod jure civili de advocatis
 statutum, etiam ad procuratores pertineat c. 6. X. de
 jurament. calumn. & c. 2. eod. in 6to.

- (b) De calumnia tamen etiam illi, qui in servos quæstio-
 nem exposcebant, jurare tenebantur l. i. C. de jurejur.
Propter calumniam.
- (c) Tit. ff. de calumniatoribus FORCATVL. in necyomantia.
jur. dialog. 54. n. 4. & AVR PACH. lib. II. epist. c. 5.
- (d) Quarta pars bonorum, quæ damnatorum fuerat, ac-
 cusatoribus cedebat.

blicis lex Remmia. (e) Iuramentum hoc ab actore recusatum reum ab actione absolvit, & ab hoc rejectum eum condemnat. Procuratores vero & advocati, qui ab isto abhorrent, nec monenti judici, ut præsterit, obtemperare volunt, sparta sua non inique

(e) Legem hanc a Memmia distinctam suisse, verior est sententia, quicquid etiam PIGHIVS tom. II. annal. Romani p. 484. arbitretur. CICERO in oratione pro ROSCO AMERINO p. 189. Quid ergo est, inquit, ita, tamen quas tu, te cupidum esse oportebat, ut horum exilicationem & LEGEM REMMIAM aliquid putares valere. Hoc modo in veteri libro se scriptum invenisse, testatur ANTON. AVGUSTINVS, de legibus & Sctis. Legis Remmia mentionem injiciunt MARCIANVS lib. singul. ad Sct. Turpili. l. 1. ad Sct. T. & PAPINIANVS lib. 1. ad alii. l. quasdam ff. de testib.

Græci calumniatores συκοφάντας vocabant. Vid. BRENCMAN in tract. de scopo, contin. & exitu juram. column. In THEOPHILI paraphr. lib. IV. tit. 16. habetur: ἀκτάρας συκοφαντίας. Fustibus casum, est in l. 16. c. ex quibus causis infamia irrogatur, cui per praconem ita dicatum est, ἐσγυρόφαντης i. e. calumniatus er, ut calumniatorem videri notatum, ideoque famosum, manifestum est. Eadem vox reperitur in l. 17. eodem. HALOANDER, CONTIUS ad l. 16. c. CVIACIVS lib. 13. c. 3. in l. 16. legendum volunt: συκοφαντεῖς. Addit Contius, unum tantum reperiri exemplar, in quo aliter scriptum est, in quo plura alia verba Græca sequuntur, quæ vitio libra-

inique privantur. (f) Apparet enim ex eo, quod a perversorum mandatariorum, & rabularum, quibus lucri bonus odor, ex re qualibet, censu non procul absint.

D 2

§. VI.

librariorum legi non possunt. Restituit illa verba CVIACIVS ex libr. Basilic. quæ etiam in synopsi eorum lib. LX. tit. I. c. 10. leguntur. De verbo plura jocosa, ut notavit etiam GOTHOFRED. in not. ad l. 16. & 17. ALCIATVS lib. II. disputat. c. 27. habet FORCATVLVS in sphæra legali fol. 17. ex l. 16. c. item l. 13. f. ff. de jure jurando & l. 8. ff. de poenis colligit, penes Romanos etiam Græcis verbis sententias promulgatas fuisse. Poena legis Remmiæ calumniatores five falsi accusatoris fronti litteram inuri voluit. TVRNEBVS lib. 22. adversarior. c. 22. C. fuisse affirmat, BRENCMAN autem pro K. pugnat, quoniam, ut ex Terrentio & Quintiliano constat, K. olim inter litteras Romanas fuerit. Cum Bremannio stant CVIACIVS ad l. 15. qui supra, de teflib. & ZOES. tit. ad Sc. Turpili. Hic a Constantino ritum hunc abrogatum esse dicit, & provocat ad l. 17. C. de poenis. Hodie quoque inscriptio & talio extra ulum sunt.

(f) GAIL. lib. I. obs. 89. BOCERVVS cl. VI. D. 15. th. 15. MEV. ad I. L. lib. V. tit. II. art. 6. n. II. Inter talia iurisjurandi capita etiam hoc continetur, quod litium protractiones, quo multiplicatae pertinent dilationes, curatius evitari debeant. Sed judices quoque oportet, animum ad litium finem appellant, & non tam de conglomerandis numis ex decretorum & sententia-

rum

§. VI.

In nonnullis territoriis calumniæ juramentum generale, ob perjuriorum frequentiam, est sublatum, (g) utpote in Belgio, (h) Saxonia, (i) ducatu Magdeburgico (k) aliisque adhuc Germaniæ terris. Verum enimvero, licet cum iis non sentiam, qui asserunt, juramentum calumniæ jure divino esse introductum, atque sic nulla contraria lege aut converrudine tolli posse (l) non puto tamen, hoc juramentum, quod publica introduxit utilitas, propter per-

rum multitudine, quam provincia sua, ut par est, administranda, sint solliciti. Vid. ZIGLER. *in dicafice.* Quam vellem, ut hunc librum omnes judices in numerato haberent, & in succum & sanguinem converterent.

- (g) HILLIGER *ad Donell.* lib. XXIV. c. 3.
- (h) PEREZ. *ad tit. C. de jurejur. propter calumn.*
- (i) COLER. part. I. decif. II. n. 10. *sqq. CARPZOV.* lib. III. respons. elecT. 54. n. 4. Si autem judex percipit, aliquem litigantium, aut advocatorum de veritate occulta, aut immutanda operam dare, ipsi juramentum malitia speciale injungere potest.
- (k) AYRER. *in proc. jur. l. I. c. 11. observ. II. n. 4.* Neu verbesserte Magdeb. Proces-Ordnung c. VII. part. II. apud MYLIVM p. 113.
- (l) JCtos, qui hanc sententiam fovent, excitat KETTLER decif. Offfrifica 36. C 42. cene. I.

perjurii periculum esse abrogandum, aut omittendum. Si ob perjurii metum ab hoc juramento abstinentum, illud merito ab omnibus faciendum juramentis, quippe cum ubique idem sit perjurii periculum. (m) Praestat ejusmodi perjuros supplicio afficere, quam illorum gratia juramentum plane tollere. Neque procuratores & advocatos juramentum, quod matriculæ nomen dantes præstant, ab hoc liberare potest jurejurando. Conducit enim, imo quodammodo necesse est, ut singulis in causis ad ea, quæ sunt muneris sui partes, recte curanda, jurejurando se adstringant. (n) Generalium namque illo-

D 3

rum

(m) KETTLER l. c. decis. 42. n. 40.

(n) Sed quod ad procuratores & advocatos attinet, hoc jus fere in defuetudinem abiit, tametsi, utiliter practicari posse, non dubito. VULTEIVS de judiciis lib. III. c. 2. n. 52. Adde KETTLER decis. LIX. ubi cum GIBALIN. tract. de univer. humanar. negotiat. tom. II. lib. VI. art. 9. n. 39. & OBRECHT de juramento calumn. c. 6. statuit juramenti calumniæ, quod advocati & procuratores in quibusdam judiciis hodie præstare tenentur, nulla in jure romano reperiiri vestigia, & textus, qui hanc in rem citantur, de longe alio advocatorum juramento, agere: Verum sufficit, juramentum illud calumniæ, quod hodie advocati præstant, ad textus juris Romani, quoad esse genericum quadrare, si non ad eos quadret, quoad esse specificum. Ceterum Iureconsultus ille eruditus l. c. n. 23, sgg. nobiscum consentit, quod rei publicæ

rum juramentorum, quæ officialitatis dicunt, non semper ratio habetur. Sed queritur, an procurator ex officio datus, in hoc adigi queat juramentum? Vbi distinguunt inter processum, & merita causæ, ut illo casu teneatur, hoc casu non teneatur. (o) Fiscalem autem a præstatione juramenti calumniæ usus judiciorum approbarus relevat. (p)

§. VII.

Quæstio oritur, an in illis terris, ubi ad judiciorum constitutionem, & processuum substantiam juramentum calumniæ non pertinet, juramentum hoc, in actis semel legitimo modo exactum, postea expresse remitti possit? Vbi magnus doctorum numerus negativam tuetur sententiam. (q) Sed habet tamen hæc sententia aliquid ex dubio, cum homines a jure quæsto per pacta discedere possint, sibique invicem jurisjurandi vinculum remittere.

§. VIII.

publicæ inter sit, ut juramentum calumnia ab advocatis, sub cuiusvis causa primordio, præstetur, etiam si generali jam tum se obligaverint, quod officio recte fungi velint. Iunge POLEMAN in racemationibus pag. 457.

- (o) GAIL. 1. obs. 55. VULTEI. l. c. n. 60.
- (p) MYNSINGER cent. 4. observat. 74. GAIL. 1. c. ob servat. 40.
- (q) Vid. KETTLERI decis. Ostfrisica 42. ubi, hoc etiam jure Ostfrisico statutario receptum esse, testatur.

§. VIII.

Quo nam autem tempore juramentum illud calumniæ generale præstandum sit, non omnino, sine dubitatione esse, videtur. Plerique affirmant, id regulariter nemini, ut ante litis contestationem præstet, injungi posse, (r) nisi quis, litem contestari tergiversetur: Sed hoc hodie, ubi processus initium non a litis contestatione, sed a citationis insinuatione fit, mutationem passum, censetur. Inprimis autem mihi durum videtur, sententiam, qua judex, ante litis contestationem juramentum calumniæ præstandum, jubet, pro nulla haberí, nisi hoc statuto sit stabilitum. (s)

§. IX.

An juramentum calumniæ, in prima instantia præstitum, in secunda instantia repeti debeat? disceptationibus est obnoxium. (t) Mihi placet sententia Con-

(r) ANTONIVS DELRE TIBVRIN de juram. calumn. c. 18.
OBRECHT de juramento calumn. c. 9.

(s) Hoc in Friesia Orientali factum. KETTLER decis. I,
n. 51. seqq. testatur.

(t) OBRECHT de jurament. calumn. c. 5. Ad priorem ca-
sum Nov. 99, & ibi gloss. in verb. nequaque \mathcal{O} auct. Sacr.
iii,

Conringii, vicepræsidis quondam dicasterii Frisiae orientalis, si in facto nihil novi allegatur, nec etiam novæ probationes producendæ, sed acta priora, loco gravaminum & defensionalium, hinc inde reperuntur, juramenti illius in secunda instantia repetitionem non requiri, cum causa appellationis sit una eademque causa, cum causa prioris instantiæ. (u) Aliter autem se rem habere, si quid novi in secunda instantia proferatur,

§. X.

A justitia, haud scio, an remotum videatur, quod in appellationis instantia, nova proferri possint; cum nemo se gravatum dicere queat in eo, quod in judicium non fuit introductum. Interim fora litigantibus concedunt beneficium, nondum deducta deducam, & nondum probata probabo. Prædicti hujus sententiæ studio l. 4. C. de tempor. & reparationibus appell. in auxilium petunt: Sed videtur textus ille eorum placitum nihil admodum in seculo collo-

tit. C. ubi jur. column. ad posterior. autem I. qui bona §.
si quis stipul. l. properandum bis omnibus C. de judic.
c. pr. de juram. column. in 6. VULTEIVS de judic.
lib. III. c. II. n. 89. sqq. affirmat posteriorem senten-
tiā in praxi obtinere: sed hoc forte non, nisi sub alle-
gata limitatione, est intelligendum.

(u) Decisi. 195.

collocare & statuere; quum illas tantum allegationes & deductiones admittat, quæ non ad novum capitulum pertinent, sed ex illis oriuntur, & illis conjuncte sunt, quæ apud anteriorem judicem noscuntur propositæ. Quod autem illo usus beneficio, se novorum antea non habuisse notitiam, aut quod sibi persuasum habuerit, illorum auxilio non indigere, iurejurando evincere debeat, multo minus in ista lege reperitur. Nisi hoc ex ultimis legis verbis: verum apud sacros cognitores sine procrastinatione præberi potuerunt, id quoque eos admittere, quo exercitatis jam negotiis pleniore subveniantur veritatis lumine, colligere moliuntur; Fateor tamen scrupulum, qui mihi residet, hæc verba evellere non posse.

§. IX.

Ad juramentum perhorrescentiæ, ex jure canonico originem trahens, jam perveniendum est. Improbanda merito illorum sententia, qui tradunt, judicem inferiorem perhorrescenti, absque omni causa cognitione, juramentum deferri posse. Nam non solum judicis inferioris pudor hic versatur, quoniam perhorrescentia in ejus quodammodo tendit contumeliam; Sed adversarii etiam sære interest, ne prima privetur instantia. (v) Quod ad causas, propter

E quas

(v) LAVTERB. in dissert. de juramento perhorrescentiæ.
§. XVII.

quas, judex perhorresci queat, attinet, ex in Lauterbachio (w) ad duarum rediguntur numerum. Si judex inferior & competens est suspectus, & actor metuit, judicem illum ob amicitiam, inimicitiam vel aliam causam, quod justitia & aquitas postulat, judicaturum. Secunda est adversarii potentia, vel alia similis causa, ut locus non satis tutus, propter quas actor perborrescat, & timeat, se reum secure in foro ordinario, & coram inferiore, convenire posse.

§. XII.

Juramenta dandorum & respondendorum, postquam litis contestatio specialis, novissimo imperii recessu, est injuncta, e foris merito proscribenda esse, non sine ratione a permultis adfirmatur doctribus. Inserviebant enim positiones illae ad magis constringendum illum, qui item generaliter erat contestatus: sublata autem causa, tollitur effectus. Nec effugio aliter sentientium, quod positionibus illis saepissime lites abbreviari possint, assensus adhibendus; siquidem rarissima aut nulla exstant exempla, quod in tanta forenium pugnarum pertinacia, interventientibus istis positionibus, lites fuerint terminatae. Doctrina, quod hic tantum de credulitate juretur, multis perjuriis occasionem praebuit. Neque

(w) L. c. §. XVIII.

que utilitas, quod hi articuli, si mediante forte jura-
mento respondendorum negentur, probatorialium
vicem habere possint, juramenti abusum excusabit.

§. XIII.

Penes Romanos aliud in usu non fuisse vide-
tur juramentum in litem, quam affectionis (x) ob-
dolum (y) & veram contumaciam illius, qui præ-
stare debebat, & præstare noluit, ubi commode ma-
nu militari aut alio convenienti modo ab eo obtineri
non potuit, aut illud tantum debito tempore facere
neglexit. Non autem a judice concedebatur, nisi in
rebus, in qua rationabilis cadebat affectio (z) lice-
bat.

E 2

(x) PYRRHINGVS ad I. C. lib. II. decret. tit. 14. seCt. 1.
Neque videtur differentia ex l. 5. ff. de in litem jurando
erui posse. Adde l. 45. ff. locat. cond. Potius ex illis
LL. colligi poterit, non dari, nisi juramentum in li-
tem affectionis.

(y) *Ex culpa autem iusjurandum non esse deferendum, constat,
sed estimationem a judge faciendam §. 4. l. 2. ff. de in li-
tem iurando.* Videatur tamen hic quoque sub dolo lata
contineri culpa. ZASIVS. sing. respons. lib. I. p. 60.

(z) BELLONVS supputat. *jur. lib. II. c. XIV. n. 5.* Inter-
pretes in comment. ad l. 3. ff. de in litem jurando, ple-
rumque opinantur, in nummos non cadere affectio-
nem: verum hoc in ita lege non dicitur; sed ob num-
mos non dari iusjurandum in litem, quia certam ha-
bent estimationem. CORASIVS lib. VI. miscell. c. V.

batque tunc jurare in infinitum (a) l. 4. §. 2. de jure-jur. in litem. Haudquaquam tamen inde res majus in se nanciscebatur pretium. Nam non sequitur, res pluris aestimari potest per jusjurandum in litem, ex rei contumacia, idcirco & pluris fit. (b) Aestimationi autem illi, quæ deinde juramento corroboratur, a jude dice limites ponuntur. Juramento in litem aliqui juramentum Zenonianum accensent.

§. XIV.

Nescio quid de heredum juramento diffessio-nis de credulitate dicere debeam, si ne quidem con-scientiam probabilem & verosimilem de re diffida habeant. Tale juramentum tam nudum & crudum, quod tantum possibilitati innititur, jurantes maximo periculo peccandi & perjurio exponit, & judices,

qui

p. 539. Atqui, inquit, FABER in rational. ad l. 3. de in litem jurando p. 157. 158. nummorum depositorum, qui per contumaciam dolumve depositarii non restituuntur, pre-tium nullum esse potest, cum etiam cujuslibet rei pretium in pecunia numerata consistere debeat, non potest utique pecunia pecuniam aestimare.

(a) Sunt tamen qui putant, infinitum hic pro indetermi-nato accipendum. BRISSON. in voce infinit HVBER in eunomia Romana. Multa sunt qua FABER ad §. 2. citat, conglomerat, quæque Huberus examinat.

(b) LABBÆVS obs. in synops. Basiliic. p. 64.

qui aliquem ad tale admittunt de credulitate jura-
mentum, perjurorum, quæ inde sequuntur, cause
morales esse censentur.

§. XV.

Abusum quoque esse, existimo, quod jura-
mentum diffessionis non possit referri, licet pars ex
eius petitione in jungitur, & que ac altera rei noti-
tiam habere possit. Neque enim mihi ratio, quam
hic allegare solent, quia ab ipsa lege est, unquam fa-
tisfecit. Nam reliqua etiam juramenta sunt a lege,
vel imperante, vel concedente. Sic & abusus ratio-
nem habet, quod juramentum malitiæ hic non ad-
mittant. Enim vero, ubi calumniæ vel doli suspi-
cio, ibi juramentum calumniæ speciale locum habet.
Neque hanc doctrinam evertere potest medius ter-
minus, quod hoc juramentum non veniat ex partis
delatione, sed ex legis autoritate, quoniam haec non
impedit, quo minus prædicatum subiecto convenire
queat, si pars adversa urgeat, juramentum illud esse
præstandum, & tamen suspicio adeat, illud malitiōse peti.
Deinde inter abusus referri potest, quod, loco jura-
menti diffessionis, nolint admittere probationem, pro
exoneranda conscientia; cum tamen, ad impedien-
dum diffessionis juramentum, alteram partem ad
probationem admittant, juraturum perjurium factu-
rum. Ad id merito ante omnia est incumbendum
judici, ut quam curatissime evitentur perjuria. De-

E 3

nique

nique nec hoc omittendum, quod illa diffessio, ubi quis tantum interna sive contenta instrumenti diffiteri vult, non nisi sub accurata concedenda sit circumspectione. Solent enim homines, exhibendi aut retinendi cupidine, perjuria, quae committunt, reservationibus mentalibus & imaginariis interpretationibus involvere.

§. XVI.

Rubrica sive complexio tituli de jurejurando, quando juramentum dicitur esse sive voluntarium, sive necessarium, sive judiciale; doctorum certaminibus ansam præbuit. MERILLVS *in observationibus CVIACIVM* incusat, quod circa juramenti voluntarii & necessarii definitionem sibi non constiterit, aut minus recte ea definierit. CVIACII partes contra Merillum Cujacii auditorem, deinde æmulum, tuetur OSIVS. (c) Fatetur FABROTTVS (d) in tribus illis speciebus, Cujacium variasse. Ille juramentum voluntarium vocat, quod ex partium conventione, extra judicium, citra judicis iussum, defertur, & pro hac sententia allegat Theodorum Balamonem ad nomocanonem Photii. Necessarium autem

(c) In variantibus Cujacii electionibus tom. III. thes. jur. Ottomani disputet. XVIII. p. 734.

(d) Enarrat ad lib. IV. c. paratit. I.

autem ipsi dicitur, quod a parte parti in judicio defertur, vel refertur; & judiciale, quod inopia probationum a judge defertur.

§. XVII.

Nostrates juramentum voluntarium dicunt, quod pars parti sua sponte in judicio, aut extra judicium defert; necessarium autem, quod judex, etiam non rogatus, ex officio injungit; atque hoc in purgatorium & suppletorium dividunt. Nos de duabus hisce posterioribus speciebus primum quædam monebimus.

§. XVIII.

Juramenti, quod barbare purgatorium vocant, varia in jure exstant exempla. Hoc jusjurandum tam in civilibus, quam criminalibus locum habere, dicunt. Optandum tamen, ne circa illud permittendum, aut injungendum, nimium faciles judices essent. Sæpe ad illud tanquam ignorantiae, negligentiæ, aut immutandæ justitiæ asylum delabuntur. Practici regulam solent ponere, purgatorium juramentum non habere locum, (e) nisi suppletorio

non

(e) Quando adstunt iuspiciones, a quibus reusse aliter, quam mediante hoc juramento, liberare non potest, ALTHVS,
diaologic, lib. III. c. 40. n. 7. sqq.

non sit locus: aut torturæ: sed in applicatione non-nunquam multi committuntur errores, & sophismata. Interim saniores Jcti hoc ægre in aliis, quam modici præjudicii causis, admittere solent.

§. XIX.

An in causis infamiam irrogantibus juramenti delatio sive a parte, sive a judice apud Romanos locum habuerit, controversum est. IOANNES VAN DE WATER (f) contra ANTONIVM FABRVM (g) & FORNERIVM (h) qui ex CASTRENSIS, BARTOLI, JASONIS, aliorumque, contrariam foventium opinionem, stant partibus, disputans, negativam amplectitur sententiam. Rationes illius satis probabiles videntur. Vix credibile est: aliquem, in tanta perjuriorum frequentia, famam suam, quæ cum vita pari passu ambulare dicitur, committere, aut permittere voluisse, ut quis mediante juramento, a dolo, quo alterius famam, jus, aut res læserat, se liberare potuisset. (i) Attramen leges ab eo adductæ tuendæ ejus hypo-

(f) Observationum juris Romani lib. II, c. X.

(g) In rational. Pandect. ad §. 2. l. 22. de jurejurand. & lib. IV. C. tit. 1. definit. 43.

(h) Lib. IV. rer. quotidianar. c. 19.

(i) Viterque tandem intrepidus altaria tanget, & spreta divini Numinis ira, interpretandi sibi quisque jusjurandum & le-

ges

hypothesi minus idoneæ sunt. *Enim vero in l. 3. §.*
l. ff. de jurejur. ne iota quidem de eo, quod in quæstione est, legitur, sed sequentia legis verba potius sententia ejus repugnant. *Quacunque autem inquit VLPIANVS l. c. actione quis conveniatur, si juraverit, proficiet ei iusjurandum, sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive penalí actione, sive quavis alia agatur, sive interdicto.* In l. 13. § 6. eod. nihil aliud dicitur, quam in re pecuniaria per genium principis pejerantem, fultibus castigandum, & ita ei superdici debere: προπετώσ μή οὐρε. (k) Neque in l. 34. ff. eod. juramenti delatio a causis famosis excluditur, sed ibi tantum monetur: *iusjurandum ad pecuniam & ad res omnes locum babere, etiam de operis iusjurandum deferri posse, nec de injuria queri adversarium posse, cum possit iusjurandum referre.* Quæ exclusio multo minus præsumenda, quoniam tot sunt textus, qui expresse contrarium docent.

ges aptus faciet. Sententiam hanc ex Livii lib. III. c. 20. assert VAN DE WATER p. 160. observat. *jur. roman.* Non ab ludunt ab illis verbis, quæ VLPIAN. in l. 8. c. 5. ff. de condit. insit. referuntur: *homines ad jurandum faciles contentu religionis.*

(k) Petulanter ne jurato.

§. XX.

Jam videbimus, quid VAN DE WATER ad textus ipsi obstantes respondeat. Antequam autem quid ad l. 9. §. 2, ff. de jurejurando & l. 18. C. de his qui notantur *infamia*, regerat, sub examen vocemus, consultum videtur, legum istarum verba ponderare. Sunt primi textus hæc: *Si damnatur quis post iurandum ex famoso judicio famosum esse magis est:* posterioris autem hæc: *Quid si jurejurando decisio contentio fuerit, nemo dubitaverit, quin religionem absolutio judicantis sequatur.* (*) Hæc tela tali evitare, aut repellere laborat ratiocinio. Agi in illis legibus de casu, ubi juramentum super causa famosa delatum, relatum fuerit, aut jussu judicis, & consentiente parte praestitum, quemlibet autem juri pro se introducto renunciare posse, & suæ temeritati acceptum ferre debere, si nominis honesti jacturam faciat, secundum illud l. 53. de R. I. Verum enim vero boni jureconsulti est, sensum legis ex lege eruere, non autem ei sensum inferre: ast nihil eorum, quæ Waterianus continet discursus, in lege explicite, aut implicite habetur. Itaque inutilis plane est, ad removendam objectionem, quæ ex illis legibus petitur. Quod ad reliquas spectat leges, ex sunt sequentes: l. 13 §. 2, ff. de jurejur. Idem Iulianus scribit, eum, qui juravit, furum se non fecisse, videri de toto jurasse, atque adeo neque furti, neque conductitia tenetur, quia conductitia solus fur tene-

(*) Add. t. 6. §. 4, ff. de jurejurando,

tenetur. Nunquid ergo, qui juravit, se furtum non fecisse, hoc solo nomine (a) si conveniatur, exceptione utatur? l. 25. ff. de jurejur. §. 5. Si quis juraverit se non rapuisse, non debet adjuvari hoc jurejurando in actione furti & condicione, quia aliud est furtum fecisse, quod vel clam fieri potest. §. 6. Colon. nus cum quo propter succisas forte arbores agebatur ex locato, si juraverit, se non succidisse &c. 7. Quæ juravit divorciis causa, se rem non amovisse &c. 9. Item, Pomponius ait, eum, qui furtum sibi factum alicujus rei juravit, non statim etiam condicitionis causam nancisci l. 6. §. 4. de bis qui notantur infamia: Sed & si jurejurando delato juraverit quis, non deliquisse, non erit notatus l. II. §. 1. rer. amotar. Qui rerum amotarum instituit actionem, si velit magis jusjurandum deferre, cogitur adversarius jurare, nihil divorciis causa amotum esse. Ut ab harum legum vi se liberet VAN DE WATER, proponit: prætorem in causis famosis potuisse quidem jusjurandum invito deferre, & injungere, sed tunc juramentum non, nisi quoad causam pecuniariam, effectum habuisse. Coeteroquin talem, volente prætore, ab infamia labi liberum mansisse. Cumque ipsi occurrat

F 2

obex

(a) VAN DE WATER legendum putat: hoc suo nomine: in quo consentientes habet libr. Basiliic. collect. lib. XXII. t. 5. ubi, ut est in latina versione, legitur: qui juravit, se furtum non fecisse, neque furti, neque condicione furtiva suo nomine tenetur.

obex in l. 63. ff. *de furtis*, ubi MACER inquit: *non poterit præses provinciae efficere, ut furti damnatum non sequatur infamia.* Ut se hic expediat, ait, Macrum loqui de casu, ubi quis legitimis probationibus convictus, a præside condemnatus est, hoc autem ad casum juramenti non spectare. Deinde addit, præsumendum esse, JCtum illum respicere casum; si coram prætore de furto criminaliter actum fuerit, si quidem l. 63. illa ex MACRI lib. II. publicorum judiciorum desumpta sit. Pergit in primis argumentum a transactione ad jusjurandum procedere, in transactione vero, si autore prætore de causa, infamiam inferente, transactum sit, infamiam cessare. Denique prætorem actionem doli, actionemque furti in actionem in factum commutare posse; quidni etiam efficere potuisset, ut in causa pecuniaria simulque famosa, infamia non fuerit inflicta.

§. XXI.

Verum enim vero vix erit, ut VAN DE WATER suis responsionibus, illis, qui ab eo dissentunt, satisfacturus sit. Leges allegatae omnes pro contraria sententia pugnant. Notatae digna sunt, quæ in MARCIANI l. i. §. 4. ad Scđum Turfili. leguntur: *Et quamvis nihil de poena subjecerit, tamen legis potestas adversus eum exercebitur.* Nam ut Papinianus respondet, facti quidem questio in arbitrio est judicantis, poena vero persecutio, non ejus voluntati

tati mandatur, sed legis autoritati reservatur. Cum his plene consentiunt, quæ Macri in l. 63. ff. de furtis recitantur. Neque MACRI verba, quæ sunt generalia, ad casum, quem sibi fingit Van de Water, juxta genuinæ interpretationis regulas restringi potest. Deinde nullæ differentiæ ratio valida in proposito afferri poterit, unde constet, quod in juramenti delatione id non habere debeat locum, quod in aliis modis probandi obtinet. Porro quod Macer l. c. non solum de publicis judiciis, sed & privatis loquatur, constat ex l. 7. ff. de poenis, quæ ex eodem libro est desumpta, ubi hæc leguntur. *Infamem non ex omni crimen sententia facit, sed ex eo, quod judicij publici causam habuit; itaque ex eo crimen, quod judicij publici non fuit, damnatum infamia non sequitur, nisi id crimen ex ea actione fuit, quæ etiam in privato judicio infamiam condemnato importat, veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum. Prætorum placita, quæ adhuc ex Macri lib. II. publicorum judiciorum reliquæ sunt, latis ostendunt, in eo, præter doctrinas de publicis judiciis, etiam alia jurisprudentiæ argumenta prolata esse.* Quod ad argumentum a transactione ad juramentum adtinet, illud quidem procedit intuitu illius tertii, quod scilicet uti transactio, ita etiam juramentum lites terminet, non autem ubique ratione objecti, aliorumque effectuum. Non enim desunt inter jusjurandum & transactionem discrepantiae. Ex communi doctorum senten-

F 3 tia.

tia (b) Gajum JGtum in leg. 6. ff. de transact. statuisse dicunt, de controverbiis, quæ ex testamento proficiscuntur, transfigi non posse nisi inspectis pri-mum testamenti tabulis; item de alimentis futuris, ultima voluntate relictis, nisi autore prætore, transfigi posse l. 5. §. 1. ff. de transact. Quis autem nega-ret, in utroque casu juramenti delationem locum ha-bere posse. Id quod prætori datum, ut, eo autore, de delicto, salva existimatione, transfigi queat, tan-quam singulare ad exemplum & extensionem trahi nequit. Neque huc pertinet, quod PAPINIANVS lib. 2. quest. (c) habet: *Durioribus etenim poenis affectus, ignominia velut transactio negotio postea liberari: minoribus vero, quam leges permittrunt, subjectos nibilo minus inter infames haberri, cum fa-cti quidem questio sit, in potestate judicantium juris autem autoritas sit.* Verum hoc non habet lo-cum, nisi ubi gravior poena est imposta, quam leges volunt. Nam si in causa furti nec mani-festi in quadruplum judex condemnavit, one-ratum quidem reum poena aufera, nam ex furto non

(b) NOODT de pactis & transactionibus c. XVIII.

(c) L. 15. ff. ad municipalem. Papiniani verba excitat MARCIANVS libr. singul. ad SCHM Turpill. l. 1. §. 4. ad SET. Turpill. Idem habet VLPIAN. lit. 6. ad edict. l. 12. §. 7. de his, qui notantur infamia. Poena gravior, ultra legem imposta, existimationem conservat. Add. l. 10. §. 2. ff. de poenis & l. 4. C. ex quibus causis, infam.

*non manifesto in duplum conveniri debuit: verum
banc rem existimationem non conservasse; quamvis
si poena pecuniaria eum onerasset, transactum cum
eo videtur. (d) Adgravando namque poenam non
pecuniariam, sed corporalem, potest praeses efficere,
ne fur sit inter infames. (e) Hoc non tam est poe-
nam infamiae remittere, quam eam cum alia com-
mutare. Iungere liceat haec Donelli. (f) Praeses, si
scilicet simpliciter damnavit, nec aliam poenam, quae
in locum infamiae substituatur, veluti condemo te in
duplum vel quadruplum, salva existimatione.*

§. XXII.

Graviter adhuc Waterianæ sententiæ adver-
santur l. 5. §. 5. de injur. l. II. §. 1. eod. In hisce legi-
bus permittitur actori, jusjurandum deferre, ut reus
juret, injuriam se non fecisse.

Ad hunc nodum solvendum VAN DE WA-
TER gladio utitur nimis obtuso; scilicet potuisse
quidem ab actore jusjurandum deferri reo, non ta-
men

(d) L. 7. §. 13. ff. de his qui notantur infamia.

(e) SCIPIO GENTILIS de jurisdict. lib. III. cap. XXXV.

pag. 47^o.

(f) Lib. XVIII. c. 8. p. 307. Adde ZASIVM lib. II. intell.
singul. p. 170, 171. Non judex transigit, sed ipsa sententiæ
severitas ANT. FABER ad l. 13. §. 7. ff. de his qui notantur
infam.

men eo effectu, ut, illo non præstito, reus infamis fieret. Sed quomodo talis ab infamia liber manere potuisset, quem leges talem pronunciant. Juramentum delatum super injuria præstare non posse, idem est, ac si actor probasset, reum sibi injuriam intulisse. Sic & ejus suspicio, quod speciale quid in actione injuriarum receptum fuerit, vacillat, cum tot ei obstant leges.

§. XXIII.

Alia adhuc enodanda erit quæstio; an jumentum purgatorium in criminalibus, capitibus aut corporis poenam afflictivam ingerentibus, locum habeat; Ejus in criminalibus penes Romanos non habitam fuisse rationem, sed ex jure Longobardorum promanasse PANCIROLLVS (g) affirmat, (*) Romanis satius visum, impunitum manere facinus nocentis, quam reum, si non possit testimonii aliisque probationibus legitimis conveniri, damnum l. 3. ff. de poenis.

(g) Lib. I. c. 25. Huic adstipulatur VAN DE WATER obs. jur. Rom. lib. II. c. XI.

(*) De tortura spirituali five purgatione canonica & vulgaris vid. tit. jur. can. & ad eos GONZALEZ lib. V. decretal. Ibi multa curiosa ad hoc argumentum spectantia, leguntur. Adde CANGIVM in vocab. ordal. SICAMA in not. ad antiqu. Friſor, leges tit. 14.

poenis. (h) Ut verum fatear, leges, quae ex juris promtuario evocantur, non nisi anticipiti, ut mollius loquar, inservire possunt pugnae L. 4 ff. de edendo, ad quam provocat CVIACIVS (i) nihil continet, quod quodammodo, pro juramenti purgatorii efficacia in criminalibus, usui esse possit. L. 3. C. de his, qui ad ecclesias configerint, de purgatorio juramento plane silet: Sed prohibetur tantum ibi, ne quis armis in ecclesia comparere audeat, quod ibi religionis nomine melius, quam armorum praesidio munius. Additur deinde: Sed si ecclesie voce moniti, post tot tantorumunque denunciationses, noluerint arma relinquere, quam clementiae nostrae apud Deum & episcopum causa purgata, armatis, si ita res exegerit, intromissis, trahendos se abstrahendosque esse cognoscant. In l. ult. C. de bon. autor. jud. possid. videtur quidem esse casus, ubi quis se, mediante juramento, a doli & delicti suspicione liberare debebat. Cæterum ex textu non adparet, an talis liberatio etiam in delictis majoribus, si quis suspicionibus est gravatus, & crimen fateri non vult, nec, illud ab eo commissum esse, probari possit, locum habere debeat. Notum enim, ob delicta etiam minora, penes Romanos quandoque accusations locum

G

habu-

(b) VAN DE WATER p. 170, FORNER. lib. I. rer. quo-
tid. c. 26. lib. V. c. 7. G 19.

(i) In c. 5. de cohabit. cler.

habuiisse. Neque id, quod in affirmantium sententia est, ex reliquis juris fontibus derivari poterit. Quis enim asserere auderet, hoc in l. ult. C. de abolitione latere, in qua judicii injungitur, non minus accusatorem ad docenda, qua detulit, quam reum ad purganda, quæ negavit, urgere. Quidni enim hic alio modo, quam per juramentum, innocentiam probare potuerit. Idem dicendum de l. 5. ff. de publicis iudiciis, in qua dicitur: si quis reus factus est, purgare se debet, nec ante potest accusare, quam fuerit excusatus. Collineant eo quoque verba l. 6. C. de procuratoribus sequentia: reum criminis constitutum, defensionem cause suscipere non posse, amer quam purget innocentiam suam. Nec dissimilia sunt, quæ in leg. 19. C. de his, qui accusare non possunt, conspicuntur: neganda accusatio, priusquam se criminis, quo premuntur, exuerint, secundum scito veterum juris conditorum.

§. XXIV.

Interim abnuere non possum, varios juris canonici textus omnimodo in criminalibus juramento purgatorii usui favere. (k) Ego ceteroqui judicem hic potius juris civilis, quam canonici placita sequi debere,

(k) Textus illos larga manu exhibet GONZALEZ DE TELLEZ ad c. XVI. X. de purgat. canonica.

debere, putarem, nisi aliter a principe jussus sit.
 Quis enim dubitaret, aliquem, seposito perjurii metu, ut vitam corpusque salvum haberet, per sanctissimum quidque pejeraturum. Nimium enim sibi fident in misericordia divina, quam, ad quodvis momentum, & quidem ad extremum usque habilitum, sibi patere credunt, abutunturque vera illa doctrina, omnia peccata, sic etiam perjurium, per sanguinem Christi esse extincta. Vae perversis illis divinæ voluntatis interpretibus Satis est, plane absolvere, quam occasionem, ut commissum delictum novo augeatur crimen, nempe perjurio, præbere.

§. XXV.

Suppletorium, quod vocant, jam succedit juramentum. Notus est juris civilis canon, actore non probante, absolvitur reus. Non probare autem, & probare, non tamen ut oportet, pro uno eodemque in jure nostro habentur. (1) Qui hoc juramentum latiali tribuunt jurisprudentiae, ad l. 6 C. de probationibus provocant: Verum in hac lege nihil de juramento suppletorio, nec perspicacioribus occurret. Neque enim sequitur: *rationes defuncti, qua in bonis ejus inveniuntur, ad probationem sibi debite quantitatis,*

G 2

(1) L. ult, C. de probat. FORNER. lib. V. rer. quotid. c. 26. G
 FABER in rational. ad l. 1. §. ult. ff. ad Slinm Vellejan.

tatis, solas non sufficere, & si in ultima voluntate certam pecuniae quantitatem, aut etiam res certas sibi deberi, significaverit, ideo probationis defectus per juramentum suppleri debet. Potest enim presumto illa, per alia adminicula, in sufficientem evadci probationem, aut illius, ut inidoneæ, nulla plane haberi ratio. In utroque videlicet illo casu est testimonium in propria causa. Certe insufficiens plane probatio, quæ ne quidem ad id, quod practici requirunt, ut suppletorium admitti debeat juramentum, sufficit. Neque majoris roboris est argumentum, quod petitur ex l. 3. C. de reb. credit. in bonæ fidei contractibus, nee non (etiam) in ceteris causis, inopia probationum, per judicem jurejurando causa cognita res, decidi oportet. Ut si leam, hanc legem de juramento purgatorio intelligi posse, nihil sane hic de juramento suppletorio dicitur: Sed Diocletianus & Maximianus tantum volunt, si res dubia sit, ita ut index apud animum constituere nequeat, pro qua parte sententiam ferre velit, eum ad juramentum confugere posse. (m) Inopia enim probationum, hic ad fortiorum probationum defectum pertinet, ita ut index dubius sit, pro quanam parte decernendum. Atque hoc etiam respexit GAIUS, quando lib. 30.

alii

(m) NOODT probabilium juris civilis l. III. c. 6. n. 4. p. 79. ubi locum ex TERENTIO in Andria, ISIDORO. lib. 10. etymol. & OVIDIO lib. 10. metamorph. citat. FABER in rational. ad. l. 31.

ad edictum provinciale l. 31. ff. de jurejurando ait:
 solent enim sepe judices dubitis in causis, exacto jure-
 jurando, secundum eum judicare, qui juraverit,
 quod si alias inter ipsos jurejurando transactum sit
 negotium, non conceditur, eandem causam retractare.
 Dubiam inquit, FABER causam non aliam GAIUS
 sic intelligere potuit, quam in qua uterque litigan-
 tium intentionem suam plene probaverit, ita ut,
 propter conflictum probationum, judex non facile a-
 pud se constitueret possit, quis vincere debeat, ut ju-
 rare ipse etiam liquido posset, sibi non liquere. Quo
 casu tamen aequus est, ut juramentum a reo exigatur.
 A Bartolo & Accurso, aliisque eorum doctrinæ so-
 ciis, obscurum illum Caji locum de juramento sup-
 plitorio interpretantibus, discedit etiam DVARE.
 NVS (n) quando mentem suam sequentem in mo-
 dum explicat. Itaque dubia causa videtur esse Cajo,
 sicut & quaestio dubia Modestino l. non puto ff. de jure
 fisci cum judici non liquet, & eo redactus est, pro-
 pter paritatem probationis forte, ut hujus, in u-
 tramque partem propendere & inclinare debeat.
 Quo casu, sine injuria eiusquam, judex potest jusju-
 randum, sed maxime reo, cuius favorabilior est cau-
 sa, quam actori c. ult. de jurejur. in decret. Verum
 quia dubia est atque incerta causa aequitas, ut vix
 absolvatur tandem reus, nec aliter quam exacto ju-

G 3

ramento

(n) Lib. II. disp. annivers. c. XXXIII. p. 1071.

ramento constitutum est, retractari posse. Nec vero idem dici potest, cum actor unum testem habeat, aut alias justa probatione deficitur, cum dubia aut anceps causa tunc non sit, sed auctore non probante, sine contradictione & hastatione, reus absolvit debeat. Ex Duarenii partibus stat DONELLVS. (o) videoturque ex veteribus DYNVS eam quoque fovisse sententiam.

§. XXVI.

Sedet mihi opinio, Gaji locum ad interrogations (p) quæ in foris Romanis usitatæ erant, spectare. Nempe si per interrogations & responsiones partium causa controversa ventilabatur, & partes pro sua quisque causa rationes allegabant, quæ ita erant constitutæ, ut judici non constaret, quænam essent fortiores, uni ex partibus jusjurandum deferre maluit, quam causam plane indecisam relinquere. Quo etiam stabatur, si altera pars, contra quam pronunciatum, se nova invenisse documenta, non dixerit. Hoc enim facto ex integro causa agebatur. Videtur huic conjecturæ ex l. 2. & 3. ff. de interrogationibus in jure faciendi auxilium ferri. Dicitur enim ibi: edictum de

(o) Ad l. 31. ff de jurejurando.

(p) DVARENVS lib. I. disputat. anniversar. c. 43. Ravordus protibun. libr. singul. c. 5. p. 555. sqq.

de interrogationibus ideo praetorem proposuisse, quia difficile esset ei, qui heredem bonorumve possessorem convenit, probare aliquem esse heredem, bonorumve possessorem. Quia plerumque difficultis probatio hereditatis est. Censentur quoque eo respicere l. 15. & 17. ff. de exceptione rei judicatae, quæ sunt ex eodem GAIJI libro. Potuit autem judex pro lubitu, ubi equitas postulabat, interrogare (q) & sic etiam haud dubie in ante dicto casu juramentum deferre.

§. XXVII.

Miror, vulgari sententiæ accedere GONZALEZIVM DE TELLEZ (r) qui sequitur COSTAL. (s) & VINNIVM, (t) Ex hoc sequentes GONZALEZ citat juris textus c. ex litteris §. ult. X. de probat c. inter deleclos 6. X. de fid. instrument. arg. l. inter parres 38. ff. de re judic. l. 47. ff. de obligation. & action. Verum enim vero nec in his textibus juris canonici, nec in textibus juris civilis reperitur illud, quod in quæstione est. Pontificii juris textus inter alia capita de possessionis beatitudine, & exceptione ab hac regula, nec non de vitiosis & spuriis diplomaticis agunt. Lex 38. autem de re judicata nihil aliud continet,

quam

(q) L. 21, ff. de interrogat, in jure faciendis &c.

(r) Ad e. 2, X. de probat.

(s) Ad leg. admonendi.

(t) Select. jur. quæst. lib. IV. e. 44.

quam quid obtinere debeat, si inter pares numero
dissonæ sententiæ proferantur, & l. 47. quod jura sunt
faciliora ad liberandum, quam obligandum, statuit.
Brevissime Vinnii argumenta, quæ in suos usus con-
vertit Gonzalez, percurremus. In l. 31. ff. *de jurejur.*
nihil dicitur de inopia probationum, sed solere in du-
biis causis, i. e. cum judex ignoret, pro qua parte
sententiam ferre debeat, judicem, exacto jurejurando,
pro eo pronunciare, qui juravit. Nec eadem est ra-
tio, reus absolvendus est, si actor minus plene pro-
bavit, igitur absolvendus, etiamsi fortiter probaverit.
Nam imperfectum & inutile, in jure quandoque pro
eodem accipiuntur l. 21. §. 1. C. *de testam.* l. 25. ff. *eod.*
Ast nullibi dicitur, quod si æque fortem reus habeat
probationem ac actor, quod hujus probatio pro nulla
haberi debeat. 2) Debilis admodum est responsio ad
hoc dilemma: aut probat actor, aut non probat, illo
casu vincit sine jurejurando l. 9. C. *de obl.* & *act.*
hoc casu reus absolvvi debet, l. 4. C. *de edendo*, esse
medium quoddam, cum scilicet actor neque omnimo
probat, neque nihil, sed aliquod, & ut loquuntur,
semiplene. Etenim stylo juris Romani, de quo no-
bis hic sermo est, imperfecte & semiplene probare,
est non probare, & cum lex probationem exigit, per-
fectam requirit l. 6. ff. *qui jetrd. coguntur.* l. ult. C.
de prob. 3) Hic non est quæstio, an duæ vel plures
imperfectæ probationes, sive præsumtiones aliquan-
do plenam probationem efficere possint: Sed quæri-
tur tantum, an penes Romanos obtinuerit, ut mi-
nus

nus plenam probationem per juramentum plenam reddere potuerint, & quid de hoc modo perficiendi loquatur l. 31. ff. de jurejur. 4) Eodem modo ac requiritur, ut ad testamenti substantiam 7. adhibeantur testes, eodem quoque ad essentiam probationis necesse est, ut ad minimum sint duo l. 12. ff. de testibus. Vnius enim testis eloquii nulla debet haberi ratio, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat l. 9. §. 1. C. de testib. Atque huc quoque collineant, quæ sunt in leg 3. §. 2. ff. de testibus: *sed ex sententia animi tui te astimare oportere, aut parum tibi probatum opinaris.* 5) In l. 5. & 6. C. de probat. non dicitur, quod instrumenta domesticæ, seu privata testatio seu annotatio & rationes defuncti, per juramentum suppletorium, ad probandum efficaces reddi queant. Junge BRONCK. HORST (u) & FABER. (v)

§. XXVIII.

In sententiæ nostræ subsidia etiam venit, quod VLPIANVS lib. 22. ad edictum, in quo de probatione per juramenti delationem agit, etiam de interrogationibus in jure faciendis loquatur. (w) Cumque

H

JCTUS

(u) Ἐγαλιοφανῶς cent. II. assert. 93.

(v) De erroribus pragmaticorum decad. XIX. errore IV.

(w) L. 2. 4. 6. ff. de interrog. in jure faciendis, quæ ex illo libro sunt desumptæ.

ICtus ibidem prætoris edictum recitet: *eius rei, de qua iusjurandum delatum fuerit, neque in ipsum, neque in eum, ad quem res pertinet, actionem dabo* (x) *illudque sequentem in modum explicet* (y) *dato jurejurando, non aliud queritur, quam an iuratum sit, remissa quæstione, an debeatur, quasi satis probatum sit jurejurando, exceptiones aliquas adjungit, in quibus præstigi iurisjurandi non habetur ratio.* (z) *Inter has haud dubie etiam illa fuit, si interrogationibus & responsionibus in judicio factis, & insecura utriusque partis probatione æquali, judex in ambiguo constitutus fuerit, pro qua parte sententiam ferre debuerit, & tunc ex unius partis juramento causam deciderit, quod, inventis deinde noviter instrumentis, fortioribusque probationibus, retractari potuerit, ita, ut jurisjurandi exceptio nullius pretii habita fuerit. Huc quodammodo respicere videntur, quæ sunt in l. ii. §. 8. ff. de interrogat., quæ est ex eodem Vlpiani libro; quæ postea emergunt auxilio indigent.*

§. XXIX.

Suppletorii juramenti in pontificio jure existare

(x) L. 7. ff. de jurejur.

(y) L. 5. ff. de jurejur.

(z) L. i. pr. ff. de jurejur. L. 5. §. ff. eod.

stare vestigia (a) & judiciorum subsellia hoc recepisse, largior: dolendum tamen profecto, pragmaticos & judices non nisi Slendrianum magistrum habentes, concitatis nimis passibus ad latibulum hoc, tanquam ad sacram ignorantiae confugere anchoram (b) Species quasdam hujus juramenti, quas fora admittere solent, examinabimus, & quidem secundum HAHNII, STRYKII & LYNCKERI *ductum*. (c) Dicunt, si unus adest testis omni exceptione major, alterius defectum, juramentum a judice delatum supplere posse. (d) Huic obstat, quod, ut dictum, jure Romano unus testis nullus sit testis. Ad hunc casum non pertinet, si partes in unius testis testimonium compromiserunt. Hic monendum existimo, mihi sententiam admodum dubiam videri, in causis summarisi & criminalibus, si de probanda rei innocentia agitur, unum testem plenam facere probationem.

H 2

§. XXX.

- (a) *L. f. X. de jurejurando arg. l. 2. X. de probationibus.*
- (b) Quam caute circa concedendum hoc juramentum, iudex incedere debeat, docet VINNIVS *select. jur. quest. c. 44.* circa finem.
- (c) *In dissertationibus de semiplena probatione.*
- (d) HAHN. I. c. §. 3. STRYK. I. c. n. 7. 8. 9. LYNCKER I. c. §. 7.

§. XXX.

Confessionem tam judicialem, quam extra judicialem plenam facere probationem, multis tam civilis quam canonici juris textibus adstruit GONZALEZ DE TELLEZ. (e) Nam confessio certior & efficacior est omnibus probationibus, adeo ut non censeatur exclusa, rejectis aliis probationibus. Quare, eis post conclusionem in causa probatio non admittatur, tamen admittitur confessio. Quod autem inter confessionem judicialem & extrajudicialem differentiam faciant, & huic tantum, si coram duobus testibus facta, semiplenam tribuant probationem (f) nullanititur juris fundamento, & plene probat extrajudicialis quoque confessio, sive a præsente acceptata sit, sive non acceptata sit. Id judicialis confessio præcipui habet, quod facilius probari possit. In vanum itaque videtur nomen Dei accipi, si confessioni extrajudicali, adhuc juramentum accedere debeat suppletorium.

§. XXXI.

Tralatitium est, ex communi doctorum sententia

(e) Ad c. 2, X. de probationibus.

(f) HAHNIUS de semiplena probat. §. 4. 5. LYNCKER in dissert. de eadem materia thes. XI.

tentia. (g) libros mercatorum primarios recte dispositos, intuitu debitorum ex venditis mercibus reliquorum, semiplenam facere fidem (h) & inter mercatores plene probare. Hujus doctrinæ origo argenteriorum sive mensariorum libris tribuenda videtur. Cæterum si argenteriorum, vel numulariorum & mensariorum munera SIGONIO distincta dixeris, id tamen certum, utriusque officium publicum fuisse, eorumque libros publicam habuisse fidem. Verum cum, fidem, conscientiam, & diligentiam mercatorum, vel illorum, quos conscribendis libris mercatoris præfecerunt, fluctuare, contingat, magnæ Britanniæ Rex Georgius I. in terris suis electoralibus istis libris, quoad debita eorum, qui non sunt mercatores, semiplenam fidem abrogavit. (i) Alias species semiplenæ probationis (k) jam non tangam, cum

H 5

alia

(g) HAHN. §. 9 & 22. STRYK. IV. n. 31. seqq. LYNCER thes. IV. KLEIN de libr. mercat. Hanc fidem nonnulli doctores etiam opificum, aliorumque honestorum hominum libris domesticis tribuunt GAIL. 2. Obs. 20.

(h) *De antiquo jure civium Romanorum lib. II. c. 11. fol. 113.* seqq. L. 10. *de edendo. L. 24. §. 2. de reb. autoritas, judicis possidend. L. 9. §. 2. de edendo.*

(i) Constitutio d. 21. Martii 1720. ap. PVFFEND. *in introductione ad processum part. III. c. VIII. §. 25.*

(k) Ut sunt fama, de qua vid, FREHERVM; & publici instrumenti exemplum &c.

alia non prætermittenda propositi nostri themata
reliqua sint.

§. XXXII.

Interim addendum adhuc est, esse casus, ubi
vel ratione objecti, vel ratione subjecti, non admit-
tant, juramentum suppletorium. Sic juramentum
hoc locum non habere dicunt in causis criminalibus
(l) & civilibus arduis (m) nec non in matrimoniali-
bus. (n) Atque hoc obtainere tradunt, sive pro ma-
trimonio, sive contra illud agatur, cum causæ illæ me-
rito arduis annumerentur. (o) Sunt, qui pro matri-
monio illud admittendum esse arbitrantur. (p) Pu-
tarem, in terris Evangelicorum, ubi jusjurandum
supple-

(l) LYNCKER de semiplena probat. thes. IV. qui hoc
cum CARPZOVOIO restringit ad causas graviores &
corporis poenam afflictivam inferentiibus. Quod si
vero in causa criminali civiliter agitur, juramentum
hoc, si amplius semiplene probatum est, admittunt.
Si ad poenam pecuniariam agitur, semiplenam proba-
tionem sufficere, putat LYNCKER, modo condemnatum
infamia non sequatur.

(m) LYNCKER I. c. thes. I. GAIL. Obs. 108. n. II.

(n) LYNCKER I. c. thes. III.

(o) Cap. ult. *de procuratoribus* in 6to BRVNNEM, *proc. jur.*
civ. cap. 23.

(p) CORASIVS miscel. *jur. civ.* I. III. c. 4.

Suppletorium aut lege aut moribus receptum est, & pro matrimonio & contra matrimonium ei locum dandum, dummodo reliqua recte sese habeant. Opinio enimvero illa, quod matrimonium sit sacramentum, atque sic non sit in partium facultate, ab hujus vinculi spe, cœteris paribus, unquam discedere (q) in puriori religioni adductis ecclesiis defendi desit. Nihil magis tranquillitati rerum publicarum aduersatur, quam coacta matrimonia.

§. XXXIII.

An heredes ad juramentum stippletorium de credulitate admittendi sint, in dubio positum. Non inferior adesse loca, ubi hoc legibus statutum aut moribus receptum, quibus a subditis obloqui nefas est; modesta tamen admonitio, quid reipublicæ conducat, aut veritati sit conveniens, in vitio poni nequit. Sunt certe, quæ heredum juramento de credulitate suppletorio obstant. Testi namque de credulitate non est habenda fides. (r) Ecquis igitur, mediante juramento suppletorio, testis in propria causa esset admittendus? (s) Quin imo sententia nostræ mirifice opitulatur dictum

PAV-

(q) C. fin. X. *de transact.*

(r) C. quoties X. *de testibus.*

(s) LÄUTERBACH. *dissert. de juramento credulitatis, pars post. §. 27.*

PAVLI (*) Heredi ejus, cum quo contractum est,
jusjurandum deferri non potest, quoniam contractum
ignorare potest.

§. XXXIV.

Judeos a juramento adversos Christianos suppletorio excludendos esse, veriori doctrinæ dediti asserrunt. Quis enim crederet? Hebræis, omnes Christianos pro hostibus, in quod quidvis licet, habentibus, religionem fore, perjurio eis damnum dare. Sibi persuasum habent circumcisii illi, omnia, quæ in mundo sunt, suum esse patrimonium, sumnumque jus, res illas, ex quo occasio favet, occupandi, sibi adscribere non piget, majorum, qui, jubente Deo, Aegyptios, aureorum argenteorumque vasum amissionem, in compensationem operarum, ipsis praefitarum, multabant, exempla abutentes. Tantum absit, qui illi propria causa contra Christianum testimonium ferre queant, qui ne quidem in aliena causa, si adversus Christianum res agitur, testimoniū numero esse possunt. (t)

§. XXXV.

(*) Senevent, receptar, lib. II. tit. II, §. 4.

(t) C. I. X. de testibus c. 2. q. 7. c. 24. q. 1. Gloss. in l. quoniam in verb. angustetur in fin. C. de hæret. & gloss. in t. Iudic. 20. X. de testibus SCHVRFF. consil. 18. & 93. de testib. VOLCKMAR de testib. cent. V. concil. 92.

§. XXXV.

Quaeritur denique, an iudex in illis locis, ubi
jusjurandum suppletorium lege aut usu receptum,
ut illud deferat, cogi queat, DONELLVS (u)
TREVTLERVS (v) & BARCLAJVS (w) neces-
sitatem deferendi hoc juramentum, a judice remo-
vent; quum in l. 31. ff. de jurejur. leguntur: *sepe
judices solent*: Verum multis consentanea magis vi-
detur veritati sententia, judicem ad deférendum co-
gi posse, quoniam, ex horum mente, *ri* solent in il-
lo textu necessitatem infert. (x)

§. XXXVI.

A parte parti delatum jam sequitur juramen-
tum. De hoc notandum, quod illud prætor non
tuebitur, nisi, parte adversa deferente, sit præsti-
tum; *alioquin facillimus quisque ad jusjurandum*
decurrans, nemine sibi deferente jusjurandum. (y)

I

Nam

(u) *De jurejur. cap. II. num. 5.*(v) *Disput. de jurejur. thes. 10.*(w) Ad l. 34. ff. de jurejur. ubi provocat ad arg. l. ult. Cod.
quonodo *T* quando.(x) VINNIVS select. quæst. lib. I. quæst. 43. GONZA-
LEZ ad cap. 2. X. de probat. BESOLDVS in delibat. iuris
tit. de jurejurando.

(y) L. 3. pr. de jurejur.

Nam si jusjurandum ex pactione ipsorum litigatorum controversiam terminare debet, oportet, ut partes per delationem paciscantur. (z)

§. XXXVII.

Juramentum deferre potest, qui sufficienter mentis usu gaudet, et rem, de qua juramentum deferre vult, in sua habet potestate, ita, ut ex arbitrio de eo disponere queat. Est enim delatio juramenti expositio rei periculo, eam amittendi (a) quod non nisi ab intelligenti et libere citraque circumscriptiōnē volente fieri potest. Deferre potest autem juramentum cuiuscunq; demum sit sexus, sive persona princeps sit, sive vicaria, modo haec ad delationem illam vel legis, vel principalis, quem vocant, jussu sit instructa. Itaque infans furiosus, & qui ei comparatur prodigus (b) mente captus, extre-

(z) L. 1. ff. de jurejur.

(a) Argum. l. 19. ff. de jurejur. Credibile est eum cui iuramentum deferitur, juraturum potius quam relaturum, atque ita sibi litis victoriā factō suo comparaturum. FABER ad h. l.

(b) L. 35. §. 1. de jurejur. aequiparatur furioso l. 7. §. ff. quibus ex caus. in possess. dicitur in factis mentis impos. l. 12. §. 2. de tutoribus et curatoribus. Hic nec bona administrare l. 7. ff. de curat. furios. et al. nec alienare potest l. 3. de in integr. refit.

extreme ebrius, summe melancholicus, & recordi fu-
rens ira, sufficienti mentis usu carentes, juramentum
deferre nequeunt: Illi autem, qui plene alieni sunt ju-
ris, ut liberi in potestate constituti, vel minus plene, ut
qui sunt sub tutoribus et curatoribus, licet mente
aliqua utantur, deferendi jurisjurandi facultate desti-
tuuntur, quia de rebus non possunt disponere, aut
saltem non plene. Itaque ut lemmate totam rem ex-
primam, qui mentis usu, aut facultate disponendi
carent juramentum deferre non possunt.

§. XXXVIII.

Juramenti delationem a cuiusque sexus per-
sona fieri posse, afferui, modo delatio illa juri pro-
hibitivo non repugnet. Nam foemineus sexus quo-
que mentis usu & facultate disponendi gaudere pot-
est, modo juramenti delatio non in præjudicium
SCti Vellejani tendat. Certum quidem, apud nos
SCto illi renunciari posse: attamen renunciationis
illius vim jusjurandum habere non potest, nisi mu-
lier antea sufficierent de beneficio suo sit edocta.

§. XXXIX.

Tutor pupilli tutelam gerens, & qui apud
nos idem est curator minoris, furiosi & prodigi, o-
mnibus probationibus deficientibus, jusjurandum

I 2

defe-

deferens, audiendus est. (b) Non enim nisi summa urgente necessitate, tutores ad modum, quo pupilli patrimonium imminui potest, prolabi debent. (c) Potest etiam pupillus tutore autore jusjurandum deferre. (d) Atque eadem hic protutoris videtur potestas. (e) Quid si vero de re immobili pupilli aut minoris alienanda juramentum deferri debet, hoc non potest fieri nisi adhibitis solennitatibus, quas lex requirit.

§. XL.

Sed quæritur, an pupillus aut minor ex delatione jurisjurandi, a tutele vel curatore facta, lœsus in integrum restitui possit? Ad hanc quæstionem negative esse respondendum reor, si tutor merita necessitate jusjurandum detulit. Re enim ita se habente, dici non potest, quod pupillus vel minor

per

- (b) L. 17. §. 2. ff. de jurejur. I. 35. eod. I. 25. §. penult. ff. de probat.
- (c) L. 46. §. 7. ff. de administr. & periculo tutor. et curator. I. ult. C. in quibus caus. non est necess. in integr. restitutio.
- (d) L. 17. §. 1. ff. de jurejur. Hoc autem ad juramentum extra judiciale videtur restringendum, cum minores regulariter aequae ac pupilli non habeant personam standi in judicio.
- (e) L. 1. §. 1. de eo, qui pro tutele &c.

per juramenti delationem, a tutore aut curatore factam, sit laesus. Neque officit, etiam si supervenerint novae probationes, modo tempore delati juramenti nec sperari, nec expectari potuerint. (f) Huc enim pertinent verba ultima: *l. 35. ff. de jurejurando: quandoque denegabitur actio.* (g)

§. XLI.

Procurator iusjurandum deferre non potest, nisi sit omnium bonorum, aut speciali mandato ad deferendum instructus, aut procurator in rem suam. (h) Enim vero alterius conscientiae rem committere, est species quaedam alienationis. Nam rarius juramenta referuntur. Igitur non nisi qui loco domini est, ut qui universorum bonorum administrationem sustinet, aut cui hoc ipsum mandatum est (i) aut si in rem suam procurator sit, juramentum deferre potest.

I 3

§. XLII.

(f) *L. 4. C. de edendo. FABER in rational. pandet. ad l. 55. ff. de jurejur.*

(g) *L. 4. C. de edendo. Quomodo hic idem esse, quam quodcumque, contra ACCVRSIVM monet FABER.*

(h) *L. 18. et 17. §. 3. ff. de jurejurando.*

(i) *Hoc autem non est factum, si mandatum est, ut petat. Nam iusjurandum loco solutionis cedit l. 27, h. t.*

§. XLII.

Dubitant, an infamis & perjurus juramentum deferre possint? Negantes, id eis non posse referri, contendunt, itaque nec ab iis deferri. Qum semel malus, semper talis præsumatur, & infamis non possit esse testis in aliena causa, multo minus in sua, per relati juramenti præstatu-
nem: Sed cum non sit absolute necessarium, ut juramentum delatum referri queat, horum sententiæ calculum adjicere, non audemus. Illu-
strandæ huic rei inservit, quod jusjurandum vo-
luntarium extra judicium delatum, referri non pos-
sit. (k) Nec famosa actione impetito licet jurame-
ntum judiciale referre. (l) Et in perjuro hæc
delatio multo minus dubii habebit, si illi remittitur
malitia juramentum. Multo minus in ambiguo po-
nendum, quod Iudeus Christiano juramentum de-
ferre possit. Contrà illum minus recte juramentum
referre existimo, qui alterum pejeraturum scit.
Nam per talem delationem peccando occasionem
præberet, & sic ipse peccaret.

§. XLIII.

(k) L. 17. ff. pr. de jurejurando.

(l) C. 36. X. de jurejur.

§. XLIII.

Oritur hic quæstio an ille, qui nihil plane probavit, & pro quo nulla est præsumtio, juramentum deferre queat? STRYKIVS (n) cum LAVTERBACHIO aliisque (o) affirmativæ subscribit opinioni. Sed a vero aberrare videtur hæc doctrina. Nonne enim esset nomen Dei in vacuum accipere? Si cuidam, cui larga forte conscientia est, permisum, ut, sine omni probabilitate, alicui super causa quadam licitum esset deferre juramentum, sub spe haud dubie, ut ipsi juramentum referatur, si forte ille, cui defertur, nimis rigide Perriandri illud observare velit: ἐπει μὴ χρι. Atque sic, per nimiam facilitatem super delato juramento interloquendi, judex falso juramento ansam præberet. Aut si forte hoc non contingat, judici certe vitio vertendum, quod interlocuto suo, de præstanto aut referendo jurejurando, supervacaneo juramento causa fuerit. (p) Neque ipsum, qui sub spe lucri reti-

(n) In *causal. jurament. part. II. secl. I. cap. 3.*

(o) GONZÁLEZ ad tit. X. de probat. VINNIUS I. 1. secl. quæst. cap. 42.

(p) MEV. part. I. d. 200. pag. 6. d. 405. CAROCCIVS de juramento litis decis, quæst. I. principali. *Gloss. in l. 3. C. de reb. cred.* Add. MASCARD. de probat, qui plures nominat.

reticente conscientia , juramentum defert , juramentum calumniæ deterrebit. Ut si leam , analogia juris repugnare affirmantium assertum. Notissimum est juris civilis dogma , actore non probante , absolvitur reus , ubi itaque nulla plane est probatio aut præsumtio , ibi etiam illud , quod ejus vices habere debet , admitti non potest. 2) Probationes non sunt a reo auctori præbendæ , quod omnino fieret , si reo super re , cuius nulla est verisimilitudo , juramentum deferri posset. Neque enim ille videtur probare , qui juramentum refert , sed ille , qui juramentum delatum præstat. Adsum etiam textus juris , qui affirmativa repugnant sententiæ , utpote c. ult. pr. et §. I. X. de jurejurando l. antepenult. et l. penult. C. de reb. credit. l. 26. §. ult. C. de usuris l. 31. ff. de jurejur. Videbimus jam quid hisce reponat VINNIVS , cuius veltigia legit GONZALEZ. Primo arguento parum tribuit roboris , cum sit a dissimili: Verum argumentum a dissimili non semper claudicat. Negantes ex dogmate illo tantum generale consequens eruere volunt , nempe si , actore non probante , absolvatur reus , hunc omnino , si nulla adest probabilis causa , juramenti delatione non esse gravandum. Nec majoribus ad secundum arguento responsio utitur viribus. *Quia* , ut inquit , *actor reum in propria causa per juramenti delationem testem et arbitrum constituit.* Itaque non petit probationem e domo rei. Enimvero quid aliud est aliquem , in propria testem & judicem constituere , quam probatio-

bationes aut potius defectum exceptionum, quando juramentum recusat aut refert, ex domo ejus petere velle. Neque jusjurandum calumniæ juramenti abusum, si promiscua ejus delatio conceditur, demere potest. In permultis foris juramentum calumniæ exaruisse, fatetur VINNIVS, quanquam postulatum omitti non posse, addat. (a) Quod ad juris textus attinet, non satis certum est, an in c. 36. X. de jurejurando verba illa: *recusari* (b) possit licite ac referri divisim, an conjunctim sint accipienda. Ambiguum est, an §. si oritur ejusdem capituli tantum de juramento, quod necessarium dicunt, agat. Legem 31. ff. de jurejurando, non æque ad hanc quæstionem spectare, largior. Verba l. 26. C. de usuris: *sacramenti etiam illationem*, magis generalia esse, quam ut ad juramentum purgatorium restringi possint, reor. Valeant quoque assertores affirmativæ opinionis cum suis legibus. Quis enim crederet ex l. 25. ff. de jurejurando colligi posse, aliquem sine aliquali probatione aut præsumptione juramentum deferre posse. Nam non sequitur, alicujus servus per delatum aut

K

rela-

(a) Vid. FORNERIVM select. lib. II. ubi contendit, hoc juramentum remitti non posse.

(b) Juramentum hoc ex causa recusari posse, docent DÖNELLVS lib. 26. comment. c. 24. MERILLVS lib. III. obs. c. 13. CIRONIVS ad tit. de jurejur. Vid. GONZALEZ tom. II. p. 615.

relatum juramentum domino acquirit, igitur juramentum sine probabili aliqua ratione deferri potest. Si autem pro l. 35. ex errore forte l. 25. ap. VINNIVM posita, dicendum, id quod in l. 35. de tutor. peculiarter constitutum (c) non posse ad exemplum trahi, & quae in ea lege de deficientibus probationibus reperiuntur, ex genuina interpretationis regulis, non nisi de probationibus, ad probandum sufficientibus, intelligi possunt. Atque ita hæc lex ad nostram quæstionem plane non pertinet. Deinde affirmantibus haudquaquam favent verba l. 25. de probat. Contorta profecto & lepida esset illatio: ille, cui onus probandi incumbit, adversario suo de rei veritate jusjurandum inferre potest, propterea si hoc facere vult, probabili non indiget ratione. Unius positio non est alterius exclusio. Porro in l. 12. C. de rebus creditis & jurejurando etiam non continetur, quod in quæstione est. Idem sane de l. 21. §. 10. C. de jure deliberandi dicendum. In l. 34. §. 6. ff. de jurejur. non dicit prætor, quod juramentum sine omni verisimilitudine deferri queat, sed tantum, eum, a quo jusjurandum petitur, solvere, aut jurare cogam. In l. 9. C. de jurejur. traditur saltem, delata jurisjurandi conditione, aut jurandum, aut juramentum referendum esse. Denique neque l. 38. ff. de jurejurando, neque l. f. C. de fidei commissis perhibent, quod sine

(c) Vid. tam. §. 10. C. de jure deliberandi.

sine probabili ratione & aliqua præsumtione, juramentum ab auctore deferri queat.

§. XLIV.

Manifestæ autem turpitudinis & confessionis est, nec jurare, nec iusjurandum referre (d) nec conscientiam probationibus exonerare velle. Hanc autem legem non aliter admittimus, nisi deferens aliquam pro se habeat juris præsumtionem. (e) Turpitudo autem hic non consistit in eo, quod quis jurare nolit, sed in illo, quod quis nec jurare, nec ju-

K 2

ramen-

(d) L. 38. ff. de jurejurando l. 9. C. de rebus creditis & jurejuringando l. 21. §. 4. ff. de noxali actione. Non itaque editum prætoris: *cum, a quo iusjurandum petitur, solvere aut jurare cogam*, neque *VLPIANVS in explicatione edicti I. 34. ff. de jurejurando: alterum itaque eligat reus, aut solvatur, aut juret, si non jurat, solvere cogendus erit a praetore, relationem excludit*. Neque recusans jurare, aut referre, a probatione pro exoneranda conscientia excludi potest. Nefas enim esset, aliquem cogere, uti subsidiario, ubi ordinarium eligere vult probandi modum l. 30. ff. h. t.

(e) MARSIL. singul. 83. FORCATVLVS necyomant, dialego LIV. hanc legem intelligit de easu, ubi reus super exceptionibus auctori juramentum defert.

ramentum referre velit (f) postquam juramenti de-
latio a judice probata est.

§. XLV.

Est adhuc, ut, in hoc argumento occupati,
quæramus, cuinam juramentum deferri possit. Au-
diamus hac de re Paulum. (g) *Qui jurasse dicitur,*
inquit, nihil refert cuius sexus etatisve sit, omni
enim modo custodiri debet iusfirandum, adversus eum,
qui contentus eo, cum deferret, fuit, quamvis pu-
pillus non videatur pejerare, quia sciens fallere non
videatur. Habeat sibi deferens, quod pupillo jura-
men-

(f) Non statim ex eo, quod quis circa juramenti præsta-
tionem suspensus est animo, & illud præstare aut referre
hæsit, colligi potest, ipsum causæ suæ diffidere. Nam
sunt, qui ex conscientia nimis scrupulosa, etiamsi bo-
nam & justam habeant causam, a jurejurando abhor-
rent, & tamen juramentum de re controversa, adver-
sario referre, rationibus suis non consulere, autumant.
In tali casu prudentis judicis est, aliquid moræ delibe-
ranti indulgere, & non statim eum pro jurare holente
declarare: cum enim faciles sint nonnulli hominum ad juran-
dum contentu religionis, alii perquam timidi metu divini-
nunis iisque ad superstitionem, ne vel hi vel illi aut con-
sequerentur, aut perderent, quod relictum est, prætor con-
sultissime interveni l. 8. ff. de condicione insit.

(g) Lib. 18. ad edit. l. 26. de jurejur.

mentum detulerit. Et sic juramentum, quod ei detulit, impugnare non potest. (h) Nam non potest venire contra proprium factum, modo pupillus illius sit aetatis, ut jurare possit. (i) Non autem hoc in eo casu, ubi pupillus se obligavit, procedit. (k) Quoad minores hoc aliter se habet. (l) Ceterum pupillus ad jurandum non potest cogi, sed illud potest recusare. (m)

§. XLVI.

Quid autem de Iudeo statuendum, an illi quoque juramentum a Christiano deferri queat? non satis certum videtur. Nullius hujus delationis esse vim, aliqui putant, si praestitum tendat in deferentis christiani detrimentum. Quemadmodum Iudeus adversus christianum in tertii causa, scilicet si hic est Iudeus,

K 3

testis

- (h) FABER *in rational. pandet. ad pr. l. 26. ff. de jurejur.*
- (i) L. ult. §. ult. ff. *de liberali causa* BARTOLVS putat, hoc obtinere, si pupillus fari possit. Alii autem existimant, illud tantum in pupillo, qui infantia major est, locum habere.
- (k) Penes Romanos hoc fieri potuit intuitu operarum, in continentu post manifestationem patrono praestitarum i. ult. §. ult. *de liberali causa*.
- (l) *Auth. Sacramenta puberum Cod. si adversus vendit VIN- NIVS select. jur. quast. l. i. c. 15.*
- (m) L. 34. §. 2. *de jurejurando.*

testis esse non potest: Multo minus in propria causa admittendus, mediante juramento, testis & arbiter. Imo Iudæi sibi persuaſum habent, si in foro non iudai-
co, ut loco, ex eorum sententia, immundo, jurant, se pe-
jerare non posse, nec sibi a magistratu christiano valide
imperari posse, ut jurent, aut juramentum referant.
Deinde credunt, etiamſi in Synagoga Iudæorum, ritu in
illa gente consueto, jurent, nullum illius juramenti esse
vim & vinculum, quando in præsentia alicujus, qui
est ex Goim five paganorum numero, sub quibus et-
iam christians comprehendunt. Et si forte aliquid
dubii circa juramenti vinculum judæus foveret, per
rabbinum vel synagogæ præsidem, aut Iudæorum
judicem juramentum pro non præstito declarari
posse (*) ajunt.

§. XLVII.

Clerici, ex juris civilis & pontificii dictamine,
juramentum delatum præstare, aut referre, vel con-
scientiam probationibus exonerare, non obligantur.
(n) Sic ipsis, sub fide clericali aliquid afferentibus,
credi.

(*) EISENMENGER in entdeckten judenthum part. II. c.
IX. SCHMIDT jüdischer Merckwürdigkeiten part. IV.
pag. 244.

(n) L. 25. §. 1. C. de episcop. & clericis ubi dicitur, quod
clericis jurare prohibeantur c. 4. caus. 2. qui. 5. c. ule. caus.
22. q. 5. c. l.

creditur; hoc tamen in protestantium foris non habet locum.

§. XLVIII.

An per procuratorem, speciali ad hoc instrumentum mandato, in principalis animam juramentum dari possit, juris peritorum disceptationibus est obnoxium. Pro affirmantibus verba facit FELTMAN.
 (o) Ab hoc dissentit OLDECOP, (p) cui MATTHÆVS (q) cum multis aliis adstipulatur. Vtrunque pars pro se juris civilis & canonici textus allegat. (r) Ut verum fatetur, nihil absurdius, puto, quam ut aliquis, invita adversa parte, in alterius animam jurare possit. Iurans enim de perjurio non admodum erit sollicitus, cum credere poterit, se non suo, sed alieno periculo pejerasse, & ille quem causa tangit, multo magis extra perjurii sollicitudinem erit, cum non ille, sed alius juraverit. Id quidem certum, posse partern adversam procuratorem, ad delatum juramentum præstandum, (s) admittere: Verum neque procurator, ut præstet delatum, neque pars

(o) *De jurejurando in alterius animam.*

(p) *In traſl. de hoc argum.*

(q) *De judiciis c. de jurejur. theſ. 35.*

(r) Vid, STRYK. *in cautel. jurament.*

(s) *L. 34. §. 3. ff. de jurejurando.*

pars adversa, ut ipsum pro principali admittat, cogi potest. Quod si autem parti placuerit, procuratori principalis vices concedere, eique deterre jusjurandum ab adversario delatum, omnino domino prodeft, eique exceptionem parit. (t) Alias obtinet, quod est *in leg. 10. ff. de jurejurando*: non debet alii noce-re, quod inter alios actum est.

§. XLIX.

Potest autem juramentum remitti ab eo nempe, qui liberam de rebus disponendi potestatem habet. (u) Itaque pupillus jurisjurandi gratiam facere non potest. (v) Revocari etiam delatum juramentum potest, modo ab alia parte non sit acceptatum. Nam si hoc factum, acceptanti sine justa causa jus quæsitum adimi non potest. Quod si vero quis juramentum revocat, & viam probationum elegerit, ad juramentum reverti nequit. Absurdum enim est,

recur-

(t) L. 9. §. 2. & 6. ff. de *jurejurando* FABER ad h. l. l. 42. §. 2. ff. de *jurejurando*. Item si reus aut defensor ejus juravit, fidejussor tutus est l. eod. §. ult.

(u) Remittit *jusjurandum*, qui deferenti cum paratus esset aduersarius jurare, gratiam ei facit, contentus voluntate jurisjurandi l. 6. ff. de *jurejurando*.

(v) L. 32. ff. de *jurejurando*. Vid. RÆVARDVS *de juris ambiguitatibus lib. V. c. 2.*

recurrere ad illud, cui quis renunciandum putavit. (w)

§. L.

Quod si vero juramentum ab eo, cui delatum est, acceptetur, plerumque eadem formula, sub qua delatum est, præstari debet. (x) Veteres hoc vocabant, conceptis verbis jurare. (y) Non omnis tamen vis judici, circa illam formulam emendandam, si inter partes super ea lis exoritur, aut themati probando ea magis accommodanda, est admota. Nam sicut judici per probationem fides facienda, ita etiam hoc per juramenti, quod probationis locum occupat, delati præstationem fieri debet. Atque ita de formula juramenti dirigendi soli-

L

citus

(w) L. II. C. de rebus creditis & jurejur. Quid circa juramenti acceptationem in foris Saxonici obtineat, traditur in compendio a GRIBNERO in principiis processus I. I. c. 4. s. 2.

(x) L. 33. & l. 3. §. 4 ff. de jurejurando.

(y) Ego jurandam verbis conceptis dedi. PLAVTVS in Bachidibus act. IV. scena. 9. v. 105. Eadem phrasis apud eundem in Truculento act. IV. scen. 2. v. 54. reperitur. Add. CICER. lib. III. de offic. c. 29. BARCLAIVS ad leg. 33. ff. de jurejur. HANSEN, de jurejurando veterum. cap. IV.

citus esse potest, ut eo facilius finis ille inde obtineri queat. Sic etiam judex articulos impertinentes ex officio reformare & rejicere potest: Multo minus illud habet dubium, quoniam legibus est expressum. *Si de qualitate*, inquit VLPIANVS (z) *juramenti fuerit inter partes dubitatum, conceptio ejus arbitris judicantis est.* Videtur autem Vlpianus hæc verba adhibuisse, ut removeret dubium, *nihil in judicium venire, de quo non est actum inter litigantes.* (a) Potest etiam accidere, ut juramentum non debeat referri, uti delatum est. *Testatur hoc VLPIANVS:* (b) *Non semper autem, inquit, consonans est, per omnia jusjurandum referri, quale defertur: Forstan ex diversitate rerum vel personarum, quibusdam emergentibus, quæ varietatem inducunt. Ideoque si quid tale inciderit, officio judicis conceptio hujusmodi jurisjurandi terminatur.* Adjungere liceat hæc FABR!: (c) *Nec audiendus est iis, qui detulit, si post arbitrio judicis formulam revocare delationem velit, quasi non alias, nec sub alia verborum conceptione fuerit determinata.*

(z) *Lib. 26, ad Sabinum §. 34. §. 6. de jurejurando.*

(a) *L. 61, ff. de judiciis, quæ ex eodem libro est.*

(b) *L. c. I. 34. §. 8. de jurejur.*

(c) *In rational, pandect. ad l. 34. §. 6. de jurejurando.*

latus ; non enim ex post facto improbare potest,
quod judex jure suo fecerit. Sed si ab initio iuris-
randum deferens protestetur, se non aliter iuris-
randum deferre velle, sed revocatum malle, si forte
aliqua ex causa vel adversario vel ipsi etiam judici
concepio non placebat, puto ei permittendum, &
improbante conceptionem judice (de adversario
namque improbante parum curandum est) perinde
habendam delationem, ac si nunquam facta est , ne
ex ipsis delatione contra ejus voluntatem juretur.
Neque in eo negligitur autoritas judicis, sed in re,
qua ex ferentis voluntate pendet, voluntas referen-
tis servatur arg. d. i. §. inde queritur infr. de oper.
nov. nunciat, satisque punitus is, qui detulit, quod
suo delationis commodo privatus, aliasque subinde
probationes perquirere cogatur, quas nullas for-
tasse, aut non nisi mancas minusque plenas inventu-
rus fit, atque ita litem amissurus, quam ex re-
latione vel recusatione jurisjurandi, si tenuisset de-
latio, vincere potuisset. Si quis enim deinde ad
juramentum reverti vult, non auditur. Si neque
juratum est, ait VLPIANVS (d) neque jurá-
mentum remissum (e) pro eo debet haberri, atque si

L 2

res

(d) Lib. 22. ad edict. l. 5. §. 6. de jurejurando.

(e) Remittit iurisjurandum qui deferente se, cum paratus effet
adver-

res in iurandum admissa non esset, proinde si postea jurare paratus sit, nihil ei hoc iurandum proficiet, quia ex eo, quod delatum est, non est juratum.

§. LL.

Juramentum præstandum in loco, ubi delatum. Ad personas autem egregias, eosque, qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet, ad iurandum. (f) Personam egregiam dicunt, quæ est extra gregem & ordinem vulgarium hominum. (g) Tradunt doctores hoc ad senes quoque pertinere, qui magistratibus æquiparantur (h) item ad hone-

adversarius jurare, gratiam si facit, contentus voluntate suscepit iurisjurandi. Quod si non suscepit iurisjurandum, licet postea paratus jurare actor nolit, non videbitur remissum, nam quod susceptum remitti debet.

(f) L. 15. ff. de jurejurando & ad eam FABER. Quinam dicti sint egregii tradit CASSIODORVS lib. 1. variar. PANCIROLLVS in comment. ad notitiam utriusque imperii c. IV. BVLENGERVVS de imperio Romano lib. IV. cap. 5.

(g) Novel. 123. de sanct. episcop. l. 2. de in jus vocando.

(h) L. 5. ff. de jure immunitatis.

honestas foeminas. (i) Ad hunc censum vocat Accursius cum legum, cum medicinæ doctores, aliosque, quibus singularis reverentia debetur. Non tamen cogitur prætor, adire eum, qui jurare debet, quod esset contra majestatem ejus, sed mittit judicem pedaneum, aut recuperatorem, hodie secretrium aut actuarium.

§. LII.

Jurisprudentiæ est controversia, an super facto alieno juramentum nec deferri nec referri possit? Id fieri non posse, in aprico est. Quomodo enim quis de quadam re, cuius nullam habet notitiam, jurare posset? Illustratur hoc ex vetere juris-jurandi formula: *si sciens fallo, & l. 26. ff. de iurejurandum quamvis pupillus non videatur pejerare, quia sciens fallere non videatur.* Imo in jure nostro negans sententia claro textu est expressa. Ait VLPIANVS: *jurare autem tam vir, quam uxor cogitur, pater autem amoventis, jurare non cogitur, cum iniquum sit, DE ALIENO FACTO ETIAM IV-*

L 3

RARE.

(i) L. 1. de postulando l. 1. Cod. de diversis judic. junct. auth. sed hodie. FABER ad l. 15. ff. de jurejurando, COVARUVIAS c. quamvis vol. 2. fol. 7.

RARE.(k) Figmenta sunt quæ in doctorum cerebris de juramento credulitatis nata aut propagata sunt. Nihil creditur sine fundamento aliquo generali aut speciali, quod habere ille dici non potest, qui nullam plane facti notitiam habet. Deinde nimis lubricam & periculo peccandi expositam ostenderet conscientiam, qui de facto, cuius plane ignorans esset, juramentum præstare auderet, nec ipsum credulitas sua irrationabilis coram DEO excusaret. Non admittitur testis de credulitate in re aliena, quomodo ille admitti posset in causa propria. Egregie assertum nostrum illustrat VLPIANVS (1) sequentibus verbis : *Quid tamen si ideo dicat reus, se esse liberatum, quoniam Stichum, quem promiserat, putat deceisse. Non erit tutus per relationem, & ideo ex hac causa putat Marcellus, & recte, aut remittendum ei iurandum, aut spacium dandum, ut certioreetur & sic juret.* Periculosum sane alterius conscientiae jus suum, aut alterius circa factum aliquid, cuius nullam habemus notitiam, committere.

§. LIII.

(k) VLPIANVS lib. 33. ad edictum I. II. §. 2. de jure jurando.

(1) Lib. 25. ad Sabinum I. 34. de jurejurando. Vide locum PAULI supra citatum.

§. LIII.

Eorum, quæ sub juramentum cadunt, catalogo nequaquam, quæ divina aut humana lege prohibita sunt, adscribenda esse, merito censendum est. Impossibilium enim, quo loco etiam sunt res turpes, nulla est obligatio. (m) Quis enim ita effrenatae se mancipare posset audaciae, ut affirmare auderet, DE VM in re turpi testem & vindicem excitari posse. Itaque illud quoque, quo majus bonum morale impeditur, a jurisjurandi objecto, quod servandum est, excludi debet (n) quia profectum in bono, quem DEO debemus, impedit. Nescio itaque, an ne Grotius sibi ipsi contradicat, quando adversus CICERONEM (*) afferentem:

quod

(m) GROTIUS de I. B. & P. lib. II. c. XIII. §. 6. l. 14. ff.
de condit. institut.

(n) GROTIUS de I. B. & P. lib. II. c. XIII. §. VII. ubi
ducente Matthæo XV. v. 5. graviter invehitur in Judæo-
rum magistros, qui perverissime formulam: *domum*
Deo dicatum sit (corban) interpretantur. Vid.
SCIPIONEM GENTILEM in origin. ad Pandætas, tom.
IV. thef. 8. p. 1355. thef. Otton. HANSEN. c. XXVI.

(*) De offic. l. 3. c. 29.

quod ita juratum, ut mens conciperet, fieri debere,
id servandum est: quod aliter; id si non feceris,
perjurium nullum est: ut si prædonibus pacatum pro
capite non attuleris, nulla fraus est, ne si juratur
quidem, id non feceris: nam pirata non est ex per
duellium numero definitus, communis hostis omnium:
cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum esse com
mune. Nonne esset majus bonum morale impedi
re, si nefando latroni, per servatam fidem, majus
præberetur subsidium, nocendi generi humano. De
inde promissum, metu injusto extortum, nullam
habet vim obligandi. Neque officit, quod, median
te juramento, cum DEO negotium sit. Nam
DEVIS, justitiæ amantissimus, potius credendus dis
fumulare, quod in testem advocatur, de promisso
servando, quod non servatur, quam probare velle,
quod quis innocens se bonis suis spoliet, & illa in
impium nebulonem conferat. (o)

§. LIV.

Inter juramenta illicita & non obligantia etiam
referendum est, quando maritus jurat, se uxoris
impudicitiam tolerare aut dissimulare velle. Hoc
enim esset species lenocinii. An autem obligari
possit,

(o) PVFFENDORF. de I. N. & G. lib. IV. c. II. §. 8.

possit, de moribus uxoris jurare, quod juramentum penes Romanos usū obtinebat, (*) est quæstio dubitationibus addicta, quam aliis meditandam relinquisimus. Interim mos ille a Justiniano cum judicio de moribus est sublatus. (**)

§. LV.

Stupratori super stupro pariter & matrimonio promisso, pro praxi juramentorum, qua utimur, juramentum deferri potest. Neque enim allegatio propriæ turpitudinis attenditur, nisi quis nullo juris vinculo inductus, ad confessionem proficit, quæ ipsi turpitudinem infert. Contra matrimonium juramentum deferri non posse, vulgaris est doctorum & pragmaticorum, qui catholicorum de matrimoniali sacramento sequuntur vestigia, sententia : Sed eam à veritate aberrare, existimo. Nam sponsalia nihil aliud sunt, quam pactum de cohabitatione, ad propagationem generis humani & mutuum adjutorium, quod res est secularis. Nec benedictio divina, quæ matrimonio accedit, rei naturam mutare potest.

M

Sicut

(*) RÆVARDVS de *juris ambiguitatibus lib. IV. c. XIII.*

(**) L. un. §. 5. C. de rei uxori. act. l. II. §. 2. C. de repud. & judic. de morib. sublat. SCHVLTING. ad §. 12. tit. VI. fragment. VLPIANI.

Sicut autem pacta mutuo enascuntur consensu, ita etiam sponsalia, quae ex tali causa exoriantur, pactorum naturam habent. Atque ubi non adest consensus, ibi etiam non adest pactum. Quod si vero quis allegat talem, quem pacta requirunt non adeste consensum, consensus existentiam allegans hanc probare debet: juramenti autem delatio rationem probationis habet, & cui juramentum delatum est, ille habet jus quæsumum, ad illud præstandum. Habeat enim sibi deferens, quod spem suam conjugii alterius conscientiae commiserit. Ex coactis matrimonii magnas malorum domesticorum & eorum, quæ rempublicam saxe fatigant, exoritur cumulus. Absit itaque in tanta utriusque sexus personarum copia, aliquem directe aut indirecte cogere velle, ut sibi præcise hoc, & non aliud matrimonio jungat individuum. Satius est fratrem pactorum matrimonialium fidem multa aliqua in fidei violatore punire, quam invitum nuptiis vincire.

§. LVI.

Quærunt an, juramenti delatio in causis criminalibus, delicti atrocitatem, quæ aut capite, aut alia corporis poena afflictiva luenda est, concorrentibus locum habeat. Plerumque dicunt, ab eo, hoc in casu, propter perjurii periculum esse abstinentem,

dum. Quam sententiam non improbo. Quis enim crederet, pro conservanda vita, aut pro salvo corpore aliquem non facturum perjurium, ubi permulti de misericordia universali, amplius quam par est, persuasi sunt. Græci (*) dicunt: *lis criminalis jurejurando non terminatur.*

§. LVII.

De ritibus, symbolis & formulis jurisjurandi
veterum erudito I. BAPTISTÆ HANSENII
libellus (p) aliique habent. Oritur hic quæstio,
an Christianus peccatum committat, si exigente
M 2 genti-

(*) *Ad l. 5. lib. 60. Basile. tit. 22.*

(p) De jurejurando veterum c. XI. seqq. COVARRV-
VIAS pag. 243, seqq. BARCLAIVS ad tit. ff. de
jurejurando cap. 1. RÆVARDVS de juris ambiguitat.
lib. V. cap. 5. ALEXANDER ab ALEXANDRO
lib. V. cap. X. pag. 266, seqq. GROTIVS de I. B.
& P. lib. II. cap. XIII. §. XI. MEVRSII *critic.* pag. 195.
Sic Brutus jurat per castissimum Lucretiæ sanguinem,
se Tarquinium cum suis exacturum. LIV. lib. I. Han-
nibalem a patre Hamilcare aris admotum, tactis sacris,
in jusjurandum adactum, se cum primum fieri posset,
populo Romano hostem futurum, tradit LIVIVS.

Alias

gentili, in vim pactorum inter eos initiorum, per falsa ejus numina juret? Juramentum tale non improbat AVG VSTINVS, quoniam in sacra scriptura tantum est prohibitum, falsos DEOS colere, non autem per illos juramentum acceptare. Addit S. Pater ecclesiae, melius, per falsum DEVM jurare veraciter, quam per verum DEVM fallaciter. Hoc aliis displicet. (q) Augustini autem sententiam

Alius Hannibalis jurisjurandi ritus exstat apud eundem autorem *decad. III. lib. 1.* ubi jurat, militibus strenue rem gerentibus se, pro cujusque voto benefactum: agnum lava manu, dextra silicem retinens, si falleret, jovem ceteroque precatus DEOS, ita se mactarunt, quemadmodum ipse agnum mactasset, secundum preceptionem caput pecudis saxo eligit. Scipio, cui res in Africa praecclare, gestae Africani cognomen peperere, juvenes Romanos, qui post infelix ad Cannas cum Poenis praelium, Italiam derelinquere meditabantur, stricto fero, ne animi propositum exequerentur, in tale adegit jusjurandum: *juro, ut ego rem publicam non deseram, neque a tribum circem Romanum deserere patiar, si sciens fallo, tu me jupiter OPT. MAX. domum, familiam, remque meam pessimo levo officias LIV. de cod. III. lib. 2.* Caligula jurabat per Drusillam SVETON, in *Caligula c. 24.*

(q) Ut SOTO in tractatu de cavendo juramentorum auctoritate, I. cap. 6. & COVARRUVIAS in c. quamvis, Vid. STRYK in caueljurament. p. II. sect, I. c. II.

tiam SANDERSON (r) tuetur, quoniam sub generali complexu Deorum, verum comprehendatur numen. Id extra dubium, neminem, qui per falsa numina juravit, a juramenti obligatione, sub prætextu, quod ex adversarii sententia per falsos DEOS juraverit, liberari l. 5. §. 1. ff. de jurejurando. (s)

§. LVIII.

Variæ sunt populorum circa juramenta præstanta solennitates, de quibus citati autores consuendi. Qui sunt apud Christianos in hac materia ritus, in vulgus notum. Singularia sunt, quæ in præstanto juramento (t) forum judaicum (u) observat, (*) a Macabæorum temporibus forte repe-

M 3

tenda.

(r) *De juramenti obligatione.*(s) FÄBER in *rational.* ad h. I.(t) In recessibus Imperii de Anno 1538. §. 23. & ordinatio-
nibus judiciorum nostrorum formulæ & ritus præscri-
pti sunt, quando a Judæis juramenta præstanta: sed
omnes fallaciis eorum patent.(u) Judæi dicunt Schevæat & tres ejus a Rabbinis formatas
habent species. Vid. MAIMONIDES tract. de ju-
daor. jurejurando.(*) Usus hic sum eruditione summe venerabilis domini
præ-

tenda. (**). Ante omnia locus judicij debet esse mundus (coscher). Hic constituitur vel in synago-
ga (v) in publico loco, vel apud Rabbinum, tan-
quam judicem domi. Jubetur juraturus ornatu pre-
cum

præpositi von der HARD, Academiæ Juliae Senioris
meritissimi, philologorum principis, & polyhistoris
celeberrimi,

(**) A gentibus juramentorum usus ad iudeos transiisse
videtur. Abrahamus juramenti vinculum admisit &
toleravit, non tamen per DEOS, sed DEVM, eo
arbitro, juratum fuit. Sic etiam jurisjurandi ritus
nulla lege in republica Mosaica institutus, sed ab anti-
quis transmisus, toleratus tantum. Nulla in
Mose & Prophetis de jurejurando constitutio. A re-
ditu ex captivitate Babylonica, religione & regione per
Maccabœos instituta, pharisæismus, a Mosis & Prophetis
firmitate longe abludens, exortus, qui novam
jurisjurandi formam, superstitionis plenam, introduxit.
Crevit subinde tantopere solemnitatem, quæ in jura-
mento iudeorum adhibentur, cumulus, ut Hilleliana
Domus integros de jurisjurandi iudaici religione con-
scriperit libros, hodie superstites, in quos avitos
codices recentiores Judæorum doctores vaftos con-
texuere commentarios. Quando in Sacras Scriptura
de summo Numine dicitur, quod juraverit, nihil
aliud est, quamquod firmiter promiserit. Phrasæ biblicæ
se hominum captui accommodant.

(v) Judæi vocant Bēs hakkeneses, Hic præstatur jura-
mentum

cum vestiri totus, cum sit invocatio Numinis. *Phylacteria* capitis & brachii integra & illæsa tenentur applicare. Caput pileo operiendum. (w) Tallit (x) amiculo religioso cum integris zezit (y) peniculamentis, sub toga amictum esse oportet. Caput tecum induendum amplius Tallit majore (z) cum suis itidem

mentum a judæo, ante armarium apertum, parieti aut muro, versus orientem in meditullio conclavis oppositam, adversa facie stante, positis ad latera ejus, aut ante ipsum duabus candelis ex cera consecatis. Armarium hoc, quod vocant *oren bakkon desch* sive *oron a synagogæ ministro*, quem *Schammash* appellant, in signum præsentia divinæ aperitur. Quidam Rabbini suadent, ut in poenæ perjurii *tenupi*, in jurando candelæ deleantur.

(w) In signum reverentiæ, summo Numini debitæ caput tegunt.

(x) Sermo hic est de Tales minore sive dono sponsa antenuptiali, quod in sponsum collocat, Judæis *Sifflones* dictum. Habet pectoralis ad utrumque latus patentis, manicis parentis, formam. Ornant illud, sive augment, Zizis, quæ ut Tephillin sunt legis mnemolyna. Vtuntur hoc indumento jurantes, Judæi qui illud tunice (veste) subjicere solent.

(y) Sunt ligamina, ex octo filis laneis complicata, in superiori parte nodo juncta.

(z) Tales est laneum quid duarum ulnarum, ligamentis ex iis pendentibus, quæ Zizis dicuntur, junctum, quo Judæi

iidem peniculamentis. Volumen legis scriptum, Sepher Tora (a) legitimum apportandum ex synagoga in judicium. Ante actum jurandi proxime antecedit territio terribilis per Rabbinum, & deterritio a perjurio, cumulatioribus minis. Sinistro jurantis brachio imponitur volumen illud legis, cui inter jurandum dextra imponitur. Iстis ritibus junguntur alicubi ceremoniae aliæ (b) ad terrorem, quo magis perjuria evitentur. Præfatur autem jusjurandum lunæ, aut jovi die, precibus matutinis, quas Schachris dicunt, factis, antequam Seipher Toure, cuius particula quædam prælegitur, in armarium reconditur. In foris christianis Judæis juraturis iidem indulgentur ritus, & permittitur adesse judaeus doctor, qui ceremonias illas, quibus formulæ hebraicæ magno numero sunt intermixtæ, exercet. (c) Optandum, ne judaicæ reservations
præ-

dæi preces fundentes, aut legum volumen pervolentes, caput obnubilant.

- (a) Membranae inscriptum volumen legum, quinque libros Moysis continens, quod duobus involvitur bacillis.
- (b) Jurantis ad latus sunt decem masculi, tredecim annis maiores, eodem modo ac juratus vestiti, nec non Raf five Rabbinorum primus, vel chassan i. e. præcentor, qui sepher ulnis sustinet.
- (c) V. opusculum B. LACKEMACHERI, cui titulus: Formular eines Eydes für die mit licentbahren Wahlen handelnde Juden.

præstiti, eluderent. Nescio, anne Rabbinus, juramentum illud, quo adigendus est, ne Judæum, qui juravit, eo juramento absolvere velit, pro juramento coacto & invalidio habiturus sit?

§. LIX.

Ritus in juramento solenni & corporali, quod doctum vocant, quando avisatio, quam vocant, præcessit, non damno; cum vulgus, quod non nisi externa rerum specie capi soleat, magis illis quandoque, quam ipsa rei natura & essentia, sive iræ divinæ in perjuros certitudine, a perjuris absterreatur. Cæterum improbandam merito censeo eorum doctrinam, qui affirmant, ob rituum, aut aliquid saltem eorum omissionem, si simpliciter juratum vel cum aliquo solennitatum defectu, aut si quid sub juramenti fide, vel juramenti loco promissum, aut assertum ad vim juramenti inducendum non sufficere, sed, hanc ob rem, neglecta illa jurata assertione, ad solenne veniendum esse juramentum. (d) Etenim divini nominis profanationem esse existimo, si juratæ assertionis, quæ essentiale juramenti habet (e) non debeat haberi ratio, sed

N idem,

(d) MENOCHIVS tom. VI. consil. 126.

(e) Formalis ratio est, ut DEVS in testem & vindicem excite-

idem, quod in ea fuit, cum rituum solennibus repeti. Aliud sane est, rem certo modo fieri debere, aliud autem, si res præscripto modo non est facta, eam nullam esse. (f) Abiutor itaque, si specificatio, quæ lege in Saxonia & moribus aut forensi obser-vantia

excitetur. Brutus cultrum cruento molidum ex Lucre-tie vulnera extractum ostentans, DEOS facit testes, se Tarquinium superbum, cum seelerata conjugæ & omni liberorum stirpe, ferro, igni exacturum. *τὸν ἰσο-pας τοῖς in jurejurando Hypocratis, habetur. οὐκον τὴν μαζῆπιαν ἐπαγμένοι τὰν θῶν.* PROCLVS in commentator, in *Platonem*. Inter alios hanc in rem FABROTTVS ad paratit. Cujacit citat. CASSIODOR. in Psalm 14. & AVGVSTIN. in Psalm 109. Cumque in jurejurando non solum DEVIS in testem advocemini, sed & diræ addantur: satis recte perjurium a CANTE CVZENO histor. I. II. c. 74. vocatur *ἀρνοσια τις PLV-TARCHVS* quæst. roman. 44. inquit: *πᾶς ὄφος εἰς καθηπατεῖσιν τὰς τις ἐποκίας.*

(f) GROTTVS de l. B. & P. lib. II. cap. V. §. 8. Ma-gnus hic vir, quo major inter eruditos non fuit l. c. cap. XIII. §. 22. notat, multis in locis repertum esse, ut fides, datus dextris, in vim jurisjurandi firmetur, Adde PVFFENDORFF. lib. 4. cap. 2. §. 5. Obiter hic notare liceat, HOBESIO *de cive* cap. 3. §. ult. opinionem esse, juramenta, quæ pæctis adduntur, quorum violatio latere non potest, aut si ei cui fiunt sit potestas fractam fidem ulcicendi, esse superva-canea.

vant
ram
esse
Ident
pro
jura
tent
nan
men
peri
gest
qua
quo
tent
mih
quid
circ
lism

(h)



vantia in omni propemodum reliqua Germania juramenta vices habet, juramenti loco sit asserta, non esse necesse, ut solenni denuo involvatur juramento. Idem omnino dicendum, de illo casu, quando uxor pro marito intercessura, beneficio Sct. Vellejani, sub juramenti fide, valedixerit. Contraria certe sententia, variis otiosis juramentis, nomen DEI profanantibus, vel etiam perjurii ansam dedit. (g) Subit memoriam hic factum aliquod imprudentis judicis superioris, qui totum actum jurandi coram inferiore gestum, nullum pronunciavit, quia in avisatione, quam vocant, pro vitando perjurio non dictum, quod pollex & duo digiti elevati sacrosanctam denotent Trinitatem. Ut verum fatear, explicatio illa mihi videtur penitus omittenda. Possunt enim sibi quidam persuadere, ac si DEV M trinunum in digitis circumferant; atque ita in Stoicisnum & Spinozisnum prolabi.

§. LX.

Quæ circa juramentorum finem & effectus
(h) aliasque hujus commatis doctrinas notari adhuc
N^o 2 potuist.

(g) STRYK, in V. M. lib. XVI. tit. 1.

(h) Potissimum juramentorum effectus esse debet, præ-kindere controversias: πάντας αἱλογίας πέπας εἰς βιβαίωσις

potuissent, dissertationis nostræ supplemento reservamus. Epilogi locum paucis de perjurio thesibus dabimus. Sunt qui putant, penes Romanos perjuria plane fuisse impunita. Hi provocant ad l. 2, C. de rebus creditis: Verum si in universali sensu hæc lex accipienda esset, VLPIANI (i) dicto, quod perjurando stellionatus crimen committatur, exilio plectendum repugnare. Itaque prudentiores JCTi in ea sunt sententia, quod perjuria per Numinis venerationem facta, Numini punienda relicta fuerint. (k) Tiberius consulibus scriptis: non ideo decretum patri suo cælum, ut in perniciem civium is honor verteretur &c. Iurandum perinde estimatum, quam si Jovem fecellisset, deorum injurias diis curæ. (*) Si fraudasses dicitu, ubi te in que-
stu

βιβλίον ὁ ὄρφος, PAVLVS in epistola ad Hebreos vid, GROTIUS de I. B. & P. lib. II, cap. XIII, §. XIII. HOBBIUS, de cive pag. 34. 35.

(i) L. ult. ff. de crimine stellionatus. Quomodo autem hæc Vlpiani verba intelligenda sint, explicat RÆVARDVS varior, lib. II. cap. 3. fin.

(k) GOTHOFREDVS ad l. 2. Cod. de ROBERTVS lib. II. sentent. juris cap. 20. RENALD. lib. singul. va- rior, cap. 15. PETR. PERENON. lib. II. animadver- sionum juris civilis cap. 5. VAN DE WATER obser- vat. jur. Romanor. pag. 174. Cum Rubrio criminis duce- batur violatum perjurio nomen Augusti.

(*) TACITVS lib. I. annal. cap. 37.

Su tuo Venus eradicet caput, utque etatem tuam, tecum hoc habeto tamen ubi juraveris. Sibi autem firmiter gentiles persuasum habebant, perjuriorum vindicem fore DEV M. PLINIVS in panegyri cap. 64.

Omnem rem mihi RÆVARDVS (1) vi. detur absolvisse, perjuria, ex iracundiæ calore facta, numinibus punienda relicta. Quod si autem consulto per DEOS pejeratum, pontificibus pejerantes corrigendos datos. Si per genium principis pejeratum, interdum fustibus cæsos, aliquando levius punitos religionis contemtores. (m) In reliquos vero perjuros censores animadverterunt. Apud nos perjuria arbitrarie punienda essent. (n)

Ω τέλον ὄρκος μηδαμῶς αἴτημαν.

N 3

Absit,

(l) *Libr. II. varior. cap. 3.*

(m) CICERO in legibus suis perjurii poenam divinam, humanam dedecus statuit. Adde GELLIVM lib. IV. cap. 18. An aliquando sacramenti violatio ad mortem extensa, vid. apud QVINTIL. lib. XII. c. 2. HANSEN. cap. V.

(n) Apud Francos perjuri nudo corpore virgis vapulasse censentur. *Capitul. Caroli Calvi de Anno 864. §. XII.* apud

Absit, ne nostris rebus publicis applicari queat,
PETRO.

apud BALVZ. tom. II. p. 182, 183. Lib. II. REGINONIS de disciplina ecclesiastica veteris Germaniae n. CCCXI. hæc leguntur : qui semel pejerarie, nec testis fit posthac, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa vel alterius jurator exsistat. In concilio ad Piftas constitutum, ut si quis perjurii convictus perdat manum aut redimat. Ibidem n. CCCXII. In Concilio Aurelianensi decretum : Si quis clericus præbuerit juramentum & post rebus evidenter detegitur pejcrasse, biennii temporis excommunicatione plectendus. Ibidem n. CCCXIX. Præterea pejerans ultra ad sacramentum non admittebatur, & laici annos III. clerici annos V. sub-diaconus VI. presbyter. X. episcopi XII. antequam communionem accipere potuerint, poenitentie debuerunt. Vid. poenitentiarium. In BEDA legitur : quicunque sciens pejeraverit VII. annos poeniteat, & post hæc communionem accipiat. Inter Germanicas gentes medii jam tum aëvi perjuria non fuisse infrequentia, ex cap. 38. concilii Meldensis constat. Jure canonico perjuri a cœtu ecclesiastico excluduntur. Vid. c. f. cap. 22. q. 1. & q. 5, cap. 7. Singulariter hoc de clericis constitutum cap. 10. X. de jurejurando. In constitutione criminali art. 107, 108. exprimitur, perjurio manum aut digitos, vel ut praxis interpretatur, duorum digitorum primos articulos, esse amputandos : Sed hoc ad casus, a Carolo V. ibidem expressos, restrinendum esse judicant. Forum, hodiernas perjurio poenas, pecuniariam, carceris, relegationis & fustigationis esse, dicit.

PETRONII (*) illud *nemo cælum putat, nemo jusjurandum servat, nemo jovem (Deum) pluris facit.* Quid inter est inter perjurium & mendacium? Qui mentiri solet, pejerare consuevit. Nam qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit. (**)

Addend.

P. 28. n. E. monitum, adeisse, qui cum CVIACIO lib. VII. observat. c. 13. calumniatorum fronti K. imperante Constantino, iniuri desuisse, censent, provocant ad l. 17. de poenis. Sunt, qui putant, Constantini M. constitutionem ad damnatos in metallum restringendam esse; atque sic ad calumniatores non pertinere JAC. GOTHOFRED. ad l. 2. C. *Theodosiani de poenis*: Sed quomodocunque hoc sepe habeat, non videtur. Brencmanni ratio (***) quadrare, quod illo tempore inscriptio in crimen locum habuerit: Duas autem leges, ad meram publicæ utilitatis vidictam tendentes, in uno facto concurrere non posse. (*) Nam non consue-

(*) *Satyr. cap. 82.*

(**) *CICERO in orat. pro Roscio.*

(***) Ad l. Remmiam cap. IX.

(*) *Illustriſſ. COMITIS DE LINAR diſſert. de juramento calumnia c. IV.*

consuetum est, quod in unum delictum plures sint statutæ poenæ, ita ut penes judicem sit electio, qua punire velit. Sic & quamvis largiamur, notationem frontis jam dudum ante Constantiū M. in calumniatoribus cessasse: atramen eorum subscribere opinioni, quod lex Remmia a Trajano fablata sit, non audeo. Nam PLINII verba (**) contrarium suadent, quoniam hac de re, ut antea facta, loquitur. Solet autem antea in jure nostro tempus antiquissimum denotare. (***) Videtur lex Remmia revocata, nisi dixeris, verba, quæ CAPITOLINVS (****) habet: *cavit & sumtibus publicis, & calumniis quadruplicatorum intercessit, apposita falsis delatoribus nota, de infamia nota sint intelligenda.*

(**) In panegyr. cap. 35.

(***) STRAVCH. in lexico particular. juris pag. 20.

(****) In M. Antonino pag. 68.

Errata & corrigenda.

Pag. 8. lin. 1. & in not. (i) pro Briseide lego Briseide.
 Pag. 11. lin. 5. pro Valentiniū lege Valentianum. pag. 17.
 lin. 4. pro subsidiariū lege subsidiariam. pag. 30. not. (y)
 lin. 3. pro jnrundo lege jurando. pag. 39. not. (e) lin. 1. pro
 reus lege reus se. Cætera Sphæmata B. L. humanitati
 corrigenda permittimus.

Helmstedt, Diss., 1738/41

X 2309199

B.I.G.



DISSE^{1738/3}RTATIO ACADEMICA
DE
**ORIGINE
VSV ET ABVSV
IVRAMENTORVM**
QVAM
PRÆSIDE
DN. IOHANNE WILHELMO
DE GOEBEL ⁽¹⁷³⁸⁾
I. V. D. NEC NON PANDECT. IN ACADEM. IVLIA
P. P. O.
SERENISS. DVCIS BRVNSVIC. LVNEBVRG. A CONSILIIS AVLAE
ET DICASTERII GVELPHERBYTANI ASSESSORE
IN IVLEO MAIORI
D. APRIL. MDCCXXXVIII.
PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
JOANN HEINRICH BENED. PABST.
HELMST.
HELMSTADII,
TYPIS BUCHHOLTZIANIS.